

naturis, & vna persona Christi: cùm... A ergo anima rationalis sit rationalis naturę indiuidua substantia, videtur quòd diffinitio per se competit soli animę rationali.

Præterea homo non est rationalis substantia, nisi propter animam rationalem; sed nec est persona, nisi quia est rationalis substantia; ergo tota ratio personalitatis in homine sumitur ex anima rationali. Ideo Hugo vult, quòd in homine sola anima rationalis sit persona, caro autem non sit persona, nec faciat ad constitutionem personę, sed est aliquid assumptum ad personalitatem animę rationalis.

Athan. in Symbo, vbi dicitur: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* cùm ergo tota ratio personalitatis in Christo sumatur ex eo, quòd est Deus, & ex eo, quòd est Verbum, ita quòd humanitas non facit ad constitutionem personę Christi, sed assumitur ad personalitatem Verbi; ita tota ratio personalitatis in homine puro sumatur ex anima rationali. Caro autem non faciet ad constitutionem personę hominis, sed assumpta est ad personalitatem animę rationalis.

Præterea arguit Hugo, quòd homo potest dici anima rationalis: cùm ergo homo dicat personam hominis, consequens est, quòd persona hominis sit ipsa anima rationalis: Arguit enim in lib. & par. præassignatis: *Omnis homo est animal, & omne animal est corpus: ergo omnis homo est corpus.* Si ergo homo potest dici corpus, multò magis potest dici anima rationalis. Si enim totus homo trahitur vt possit dici pars ignobilior, & vt dicatur corpus; multo magis debet trahi, vt dicatur pars nobilior, & vt dicatur anima rationalis.

IN CONTRARIVM est, quia numquam pars prædicatur de toto essentialiter, sed denominatè, quia homo non est manus, sed est manutatus, non est caput, sed est capitatus. cùm ergo anima rationalis sit pars hominis, non est huiusmodi anima, sed est animatus tali animę, scilicet rationali. Cùm ergo anima essentialiter non prædicetur de-

persona hominis, anima rationalis non erit ipsa persona hominis, sed erit pars personę hominis.

Præterea, hoc dicit persona, quasi per se sonans, & per se stans: cùm ergo anima, dum est coniuncta carnī, non sit per se stans, nec per se sonans: ergo anima sic accepta non debet dici persona. Verum est, quòd Hugo hoc argumentum facit pro se, sed quod non sit pro eo, sed contra eum in prosequendo patebit.

R E S O L V T I O .

Anima rationalis corpori coniuncta persona dici non debet, cùm ut sic per se esse, aut per se agere, quae sunt conditiones personae, eidem non competant.

RES POND E O : dicendum, quòd Hugo in hoc fuit singularis opinionis, voluit enim quòd persona in homine esset sola anima rationalis, motus fortè ex diffinitione Boethij dicentis: *Persona est rationalis naturę indiuidua substantia.* Et quia sola anima rationalis per se considerata, & sine carne esset rationalis naturę indiuidua substantia, ideo voluit, quòd tota ratio personalitatis in homine sumeretur ex anima rationali, & voluit, quòd anima rationalis esset id, quod est persona in homine. Ait enim quòd *Aliud quippe est, aliqua simul per unionem ad unitatem componi. Et aliud est, aliqua per unionem unitati apponi.* Ex quibus verbis habere vult, quòd caro non faciat ad compositionem personę hominis, sed apponitur unitati persone hominis. Animus ergo rationalis secundū eum est pars hominis. Caro verò non facit ad compositionem huius personę, sed apponitur unitati dictę personę. Vult enim, quòd cùm aliqua apponantur ad unitatem aliquius, compositum non sit aliquid illorum. Nam secundū eum, aliud est loqui de homine, aliud de persona hominis. Homo secundū ipsum componitur ex anima rationali, & carne, propter quòd homo, nec est anima rationalis, nec caro, sed est compositum ex utroque; at persona hominis est ipsa anima rationalis, caro autem non est quid componens huiusmodi personam, sed est quid ap-

Idē Doct. in
2. sent. dist.
3. par. 1. q.
2. artic. 1.
dub. 1. ad
refol.

Hugonis
opinio de
personalite
te hominis.

positum ad talem personam..

Inducebatur fortè Hugo, vt dictum est, quia non videbatur sibi, quòd posset aliter saluare illud Symboli: *sicut anima rationalis, & caro unus est homo, sic Deus, & homo unus est Christus*: nisi tota ratio personalitatis sumeretur in homine ex parte animæ rationalis, sicut tota ratio personalitatis in Christo sumitur ex parte Dei, siue ex parte Verbi.

Propter quod, sicut humanitas in Christo non propriè est componens personam Christi, sed est aliquid appositorum ad personam Christi; sic caro non est aliquid componens personam hominis, sed est aliquid appositorum ad personam hominis, quæ est anima rationalis.

In hac igitur quæstione hoc ordine procedemus, quia primò declarabimus, quòd anima rationalis, quamdiù est coniuncta carni, non debet dici persona, sicut etiam separata à carne per omnem modum, non meretur nomen personæ. Secundò ostendemus quomodo decipiebatur Hugo, volens quòd sola anima rationalis etiam coniuncta carni debeat dici persona.

Propter primum sciendum, quòd idem est persona, & suppositum, sed suppositum est generalius quām persona; nam omnia siue sunt animata, siue inanimata, siue rationalia, siue irrationalia debent facere suppositum, vel debent in se habere suppositum, sed in solis rationabilibus dicitur esse persona, & sola rationalia dicuntur habere personam. Propter quod communiter dicitur, quòd persona super suppositum addit proprietatem, ad dignitatem pertinentem, quia ad dignitatem pertinet esse rationale. Rationalia dicuntur in se habere suppositum, & personam, sed irrationalia sic dicuntur habere suppositum, quod non dicuntur habere personam. Dicemus ergo, quòd suppositum habet in se tria, quia est illud quod habet per se esse, & quod habet per se agere, & est illud quod supponitur omnibus alijs, & in quo omnia alia habent esse; Et quia in omnibus rationalibus idem est suppositū, & persona, ea quæ dicuntur de supposito in rebus rationalibus competit ipsi personæ. Propter quod

A in talibus persona est illud, quod habet per se esse, & quod habet per se agere, & est illud, in quo omnia habent esse, & ideo dicitur esse suppositum, quia omnibus alijs supponitur; si ergo hoc considerasset Hugo, non dixisset quòd anima rationalis, dum est coniuncta carni, debet dici persona, vel debet dici suppositum, quia sic accepta, nec habet per se esse, nec habet per se agere, nec est illud, quod supponitur omnibus alijs, & in quo omnia alia habent esse. Nam siue sint in corpore, vt quantitates coloris, & cetera huiusmodi; siue sint in anima, vt scientia, & virtutes, omnia dicuntur esse in persona hominis, vel in supposito hominis. Anima ergo rationalis, quæ est forma corporis, & non habet per se esse, quia nulla forma, dum est forma habet per se esse, sed habet esse in sua materia, & non habet per se agere, quia anima non intelligit, sed homo per animam: vt patet ex primo de Anima: & quia omnia, quæ sunt in homine non sunt in anima, sed aliqua eorum sunt in corpore, ideo anima rationalis dum est coniuncta carni, nec debet dici persona, nec suppositum.

B Separata etiam à carne, licet possit aliquo modo dici hoc aliquid, persona, vel suppositum, adhuc tamen non meretur hoc dici per omnem modum, cum habeat aliquam inclinationem naturalem, vt sit in corpore, tanquam forma in propria materia, vt patuit supra per August. in fine 12. super Gen.

C Hugo autem motus fortè tripliciter, ex diffinitione personæ, ex auctoritate Symboli, & ex ipso corpore; ex omnibus tribus decipiebatur. Ex diffinitione quidem personæ, cum dicitur, quòd persona est rationalis naturæ individualis substantia. Hæc enim diffinitio est data de persona puri hominis, siue de persona humana, non autem est data de persona Angelica, quia vt patet per Dionys. de Divisionis nominibus cap. 6. *Angeli sunt intellectuales, homines autem rationales*. Si ergo diffiniatur persona Angelica, dicetur, quòd est intellectualis naturæ individualis substantia; quòd homo ergo sit rationalis, vt intelligit cum discursu, hoc habet, quia anima est unibilis carni. Esse ergo rationalis naturæ, non competit ani-

Personæ conditio-nes.

Forma ma-teriae con-iuncta non habet per se esse, nec per se age-re,

Art. 1. de anima tex.
64

Tomo 3.
cap. 35.

Motuum primi Hu-gonis.

Quomodo intel-ligatur diffini-tio personæ a Boherio tradita.

*Diffinitio
personæ cō-
petit ani-
mæ ratio-
nali ex or-
dine, seu
vnitate ad
corpus.*

*Motiuū se-
cundūm.*

*Similitudo
quid sit.*

*Motiuū
tertiū.*

mæ secundūm se, sed competit toti coniuncto, vel competit animæ rationali, vt est ynibilis carni. Ex quo patet, quòd diffinitio personæ non competit ipsi animæ rationali secundūm se (vt credebat Hugo) sed competit ei ex ordine, & vnitate, quam habet ad carnem. Diffinitio ergo data de persona, quòd persona est rationalis naturæ indiuidua substantia, non fuit sufficiens motiuum, vt Hugo diceret, animam rationalem coniunctam carni secundūm esse, esse personam.

Sic etiam non fuit sufficiens motiuum auctoritas Symboli, cùm dicitur: *Sicut anima rationalis, & caro vñus est homo, ita Deus, & homo vñus est Christus.* Nam non omnis similitudo ambulat cum multis pedibus: & cùm inducitur aliquid, vt simile sufficit, quòd illud sit simile quantum ad aliqua, vel quantum ad aliquid, & non oportet, quòd sit simile quantum ad omnia. Nam, si esset simile quantum ad omnia, non esset simile, sed esset idem. Similitudo autem non est rerum earumdem, sed rerum differentium. Est ergo simile, quòd sicut in puro homine anima rationalis, & caro vñus est homo, ita in Christo, Deus, & homo vñus est Christus, modo quo diximus; sed non est simile quantum ad hoc, quod sicut in Christo tota ratio personalitatis sumitur ex ipso Deo, vel ex ipso Verbo, quia ipsum Verbum erat persona, humanitas vero non constituebat personam, sed assumebatur ad personam, iäm in esse constitutam; sed non est sic de anima rationali, quòd anima rationalis sit ipsa persona humana, caro autem non faciat ad constitutionem humanæ personæ, sed assumatur ad personalitatem animæ rationalis, (vt asserit Hugo) vtraque enim est de constitutione humanæ personæ, anima rationalis, & caro: licet vtraque natura non sit de constitutione personæ Christi.

Motiuū Hugonis etiam de corpore non fuit sufficiens, nec conueniens. Arguebat enim, quòd si homo potest dici corpus, ergo multò magis potest dici anima rationalis, cùm sit pars dignior in constitutione hominis, quam corpus. Nam corpus, quod prædicatur de homine, cùm dicitur, homo est corpus, non,

A est corpus, quod est altera pars compositi, nec est corpus, quod dicit partem, sed est corpus, quod est genus, & quod dicit totum. Nam secundūm Commentatorem super 2. Metaph. *Differit genus à materia, quia materia dicit partem, genus autem dicit totum, & si genus dicit partem, hoc est, secundūm rationem, nam secundūm rem dicit totum.* Arguere ergo quòd si homo est corpus, ergo multò magis est anima rationalis, patet, falsitatem esse in arguento, quia corpus, quod est homo, & quod prædicatur de homine, dicit totum, sed anima rationalis non potest dicere totum hominem, sed semper dicit partem eius.

B

RESP. AD ARGVM.

Declaratum est ergo, quòd anima rationalis coniuncta carni non debet dici persona, & quòd motiuā Hugonis ad hoc probandum sunt falsa, & insufficientia. Et per hęc pater solutio ad argumenta. Nam argumenta de diffinitione personæ: & quòd anima potissimè est natura rationalis, soluta sunt per iam dicta. Quia esse rationale, & intelligere cum discursu non competit animæ secundūm se, sed vt est iuncta corpori. Sic etiam argumentum de auctoritate Symboli Athanasij, & argumentum de corpore, quòd homo est corpus, per iam dicta patent esse soluta.

C

*Intelligere
cum dicitur
sū non com-
petit anti-
mg secun-
dūm se, sed
prout est
coniuncta
corpori. Vi
de cunctis
Aet id am
quodlib. 4.
q. 16.*

ARTIC. III.

*Vtrum Persona diuina, & specialiter
persona Filij potuerit incarnari sine
alia. Conclusio est affirmativa.*

D.Tho.3.p.q.3.art.4.Calet.Medina.Silvius ibidem.
Thom. ab Argentina in 3.q.2. art.2.Ioseph.
Ragusa disp.51. D.Bonau q.2.art.1.
Richar. Durand. Pallad.q.2.
Valentia.tom.4 disp.1.
q.3. punct.1.



ERTIO queritur, vtrum vna persona diuina, & specialiter persona Filij potuerit incarnari sine alia, & videtur quòd non. Quia in incarnatione persona communicat suum naturale existere naturæ

naturæ

naturæ assumptæ . Nam natura humana A assumpta à Verbo, existit per existentiam Verbi , sed vnum est existere trium personarum . ergo &c.

Præterea quæcunque sunt vnum , non potest vnum incarnari sine alio : sed tres personæ sunt vnum , sic dicit Christus Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus . ergo , & ipse non potuit incarnari sine Patre .*

Præterea vult August. primo de Trinitate, quod Personæ diuinæ inseparabiliter operantur : sed assumere carnem est quædam operatio . Si ergo Filius est incarnatus , & assumpsit carnem : ergo Pater , & Spiritus Sanctus sunt incarnati , & assumpserunt carnem .

Præterea ait Damascenus 1. lib. cap. 2. quod Pater , Filius , & Spiritus Sanctus sunt vnum secundum omnia , præter ingenerationem , generationem , & processionem : sed incarnatio non dicit ingenerationem , quæ competit Patri , nec generationem illam æternam , quæ competit Filio , nec processionem , quæ competit Spiritui Sancto : ergo quantum ad incarnationem omnes tres personæ sunt vnum .

I N C O NTRARI V M est idem Augustinus primo de Trinitate, quod esse in carne natum , & factum , & resurrexisse , non competit nisi Filio .

Præterea specialiter dicitur de Filio ad Gal. 4. *At ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filiam suum , factum ex muliere : ergo fieri ex muliere , & incarnationi competit soli Filio .*

R E S O L V T I O .

Personæ Filij absque alia persona assumere potuit , & re ipsa assumpsit carnem , ratione missionis , terminationis , & minorationis , quæ uni personæ competere possunt . Indumentum tamen eiusdem carnis tota Trinitas operata est .

R E S P O N D E O dicendum, quod vnam personam , & specialiter personam Filij posse incarnari sine alia , possumus tripliciter declarare . Primò ex parte ipsius missionis . Secundò ex parte ipsius terminationis , quia incarnatio est terminata ad personam Filij , absque eo ,

Aegid. super iij. Sent.

quod sit terminata ad aliam . Tertiò ex parte ipsius minorationis , quia per incarnationem sic est minorata persona Filij , quod non est minorata persona alia . Hæc enim tria dicit incarnatio ipsa Filij : Missionem : Terminationem : & Minorationem . Et quia hæc possunt competere vni personæ diuinæ sine alia , ideo incarnatio potest competere personæ diuinæ , & specialiter personæ Filij sine alia .

Primum sic patet . Nam in diuinis non semper mittens mittitur . Pater enim mittit Filium , sed non mittitur à Filio . Ideo secundum Augustinum 2. de Trinitate cap. 12. *Pater non dicitur missus , sed Filius , & Spiritus Sanctus ;* Nam non dicitur mitti in diuinis , nisi persona , quæ est ab alio . Cum ergo Pater sit à nullo , non propriè dicitur mitti : si ergo potest esse missio vnius personæ sine alia , quia Filius eo dicitur incarnatus , quo missus in carnem , & eo missus in carnem , quo incarnatus , ergo si potest esse missio vnius personæ , & specialiter personæ Filij sine alia , potuit esse , & fuit incarnatio Filij sine incarnatione alterius diuinæ personæ .

Secundum autem , quod dicebatur de terminatione , potest sic declarari . Nam sola persona Filij dicitur incarnata , non quod sola persona Filij operata sit incarnationem , sed tota Trinitas operata est incarnationem illam , quia secundum Damascenum lib. 3. cap. 1. *Indivisa sunt opera Trinitatis , quia indivisa est substantia .* Hæc enim tria secundum Damascenum se consequuntur : substantia , virtus , & operatio . Personæ ergo diuinæ , quia habent vnam substantiam , & indivisibilem , habent vnam virtutem , & vnam operationem indivisibilem , & inseparabilem . Omnes ergo tres Personæ ante incarnationem non erant induitæ carne , sed Pater , & Spiritus Sanctus induerunt Filium carne , & Filius induit seipsum carnem , ita quod tota Trinitas induit Filium carne , & licet hoc indumentum carnis sit operata tota Trinitas , solus tamen Filius est incarnatus , & solus Filius induitus carne , & ad solam personam Filij terminata est incarnatio : ita quod ex parte terminationis possumus ostendere , quod vna persona potest incarnari sine alia , &

Damascen.
Trinitatis
opera indivi-
sibilia .

Tota Trini-
tas operata
est Incarna-
tionē , quæ
terminata
est ad solā
Personam
Filij .

ad vnam personam potest terminari incarnationis, absque eo, quod terminetur ad aliam.

Ad Phil. 2.

Tertiò possumus ostendere hoc idem ex parte minorationis, quia sola persona Filij est minorata per incarnationem illam: nam Filius ut est incarnatus, & ut est factus homo, est minor Patre, & Spiritu Sancto, & minor se ipso. quia seipsum minorauit, non formam diuinitatis perdens, sed formam serui accipiens. Et si volumus loqui, vt loquitur Apostolus, & bene: *scipsum non solum minorauit, sed etiam exinanivit*, idest evanesceret, non formam diuinitatis perdens, sed *formam serui accipiens*. Nam ut homo respectu sui ipsius ut Deus, non se habet, vt plenum ad plenum, sed vt vacuum ad plenum. Nam sicut vacui ad plenum nulla est proportio, & nulla est comparatio, quia non posset toties sumi vacuum, quod faceret unum plenum, sic paruitatis formae serui, & naturae humanae, ad illam superexcellentem magnitudinem naturae diuinæ nulla est comparatio, quia non posset toties sumi paruitas formae serui, quod æquaretur superexcellenti magnitudini naturae diuinæ. Indumentum ergo incarnationis operata est tota Trinitas, sed solus Filius est induitus carnem; sic etiam minorationem, vel exinanitionem, ex acceptione formæ serui, operata est tota Trinitas, quia Pater, & Spiritus Sanctus minorauerunt, & exinanierunt Filium, induendo ipsum forma serui, & ipse Filius seipsum exinanivit accipiendo formam serui, tamen solus Filius est sic minoratus, & sic exinanitus.

Omnibus ergo tribus prefatis modis sicut omnia prefata importat incarnationis, possumus ostendere, quod una persona diuina, & specialiter persona Filij potuit incarnari sine alia.

RESP. AD ARGVM.

Esse supli-
citer sumi-
tur essen-
tialiter, &
personaliter.

Ad primum dicendum, quod existere absolute, & essentialiter est unum, & idem omnium trium personarum, quia una, & eadem est essentia omnium trium personarum, sed esse relatiæ sumptum, non est unum omnium trium personarum, iuxta tres proprietates personales relatiuas

A constituentes tres personas. Nam licet substantia continet unitatem, relatio tamen multiplicat Trinitatem, ut vult Boetius in suo libro de Trinitate.

Boetius de
Trin.

Ad secundum dicendum, quod Pater, & Filius ut sunt unum, non est incarnatus unus sine altero; sed ut sunt distincti personaliter, potuit incarnari, & fuit incarnatus unus sine altero, facta est tamen talis unio non in natura, secundum quam Pater, & Filius sunt unum, sed in persona, secundum quam Pater, & Filius sunt distincti. Intelligemus enim, quod Filius sibi uniuersit naturam humanam in persona, sed quia persona illa non est sine natura diuina, ideo facta unione naturæ humanæ ad personam diuinam fuit facta unio prefata naturæ ad naturam diuinam: Sicut si unus ramus insereretur alteri ramo, possent esse in eodem stipite duo rami, unus naturalis, & alter insertus, sic in eadem persona Verbi duplex fuit natura, videlicet natura humana temporaliter assumpta à Matre, & natura diuina eternaliter accepta à Patre.

B


Ad tertium dicendum, quod, ut patet, Incarnationis effectus est à tota Trinitate, terminatus est ad Filium tantum.

Incarnatio
effectus est
à tota Tri-
nitate, ter-
minatus ad
Filium tan-
tum.

Ad quartum dicendum, quod incarnationis includit unum illorum trium, secundum quod distinguuntur personæ, quia includit generationem Filii. Filius enim habens esse à Patre per generationem, eternam, & habens esse personale distinctionem.

Incarnatio
immediata è
terminata è
est ad id, in
quo Filius
a Patre di-
stinguitur,
nō autem im-
mediate ad
id, in quo
conueniat

Etum à Patre per eternam generationem, in eandem personam asumpsit, & uniuersit sibi humanam naturam per temporalem incarnationem.



QVAEST. I.

ARTIC. IV.

*Vtrum Pater, & Spiritus Sanctus
potuerint incarnari. Conclusio
est affirmativa.*

D.Tho.3.p.q.3.art.5.Caiet.Silu.Cabrera ibid.Argi-
in 3.d.1.q.2.art.1.Valentia tom.4 disp.1.
q.3.punet.2.Bonau.dist.1.q.4.
art.1.Richar.q.3.



VARTO quæritur. Vtrū Pater, & Spiritus Sanctus potuerint incarnari. Et videtur quod non, quia secundūm Anselmum de Incarnatione Verbi. *Quodlibet paruum inconveniens in Deo est impossibile*; sed si Pater, vel Spiritus Sanctus fuisset incarnatus, essent in illa Trinitate duo filij, vnum per generationem eternam, & alius per natuitatem temporalem. Concedimus enim in Filio secundas natuitates, vnam eternam, secundūm quam est genitus à Patre, & aliam temporalem, secundūm quam est genitus à Matre. Si ergo Pater, vel Spiritus Sanctus esset sic incarnatus, vel genitus essent in illa Trinitate duo Filij: quod est inconueniens.

Præterea opposita non possunt coniungi simul in eodem, sed proprietas Patris est innascibilitas: ergo nasci, vel incarnari, Patri non potest conuenire.

Præterea incarnationis Filij est ipsa missio Filij, quia eò est incarnatus, quod missus in carnem: sed secundūm Augustinum 2. de Trinitate c. 12. *Pater non dicitur missus*: ergo &c.

Præterea, si Pater posset incarnari, per incarnationem eius aliqua bonitas esset in mundo amplior quam sit: sed ab eo expectandum est omne opus bonitatis, & pietatis: ergo sperare deberemus, & exspectare, quod incarnetur: sed hoc non sperat, nec exspectat Ecclesia: ergo &c.

Præterea non est maior Dei potentia, quam voluntas, cum utraque sit infinita: sed Pater non voluit incarnari: ergo non potuit.

Aegid. super iij.Sent.

ARTIC. IV.

15

A IN CONTRARIVM est. Quia quæcunque æquè distant, æquè coniungi possunt: sed natura humana æqualiter distat à qualibet persona Diuina, quia à qualibet distat in infinitum. Si ergo natura humana potuit coniungi Filio, potest coniungi Patri, & Spiritui Sancto.

Præterea quicquid dignitatis est in Filio, est attribuendum Patri: sed posse incarnari, est dignitatis in Filio: ergo &c.

RESOLVTO.

*Patrem, & Spiritum Sanctum incarnari,
neque quoad efficientiam, neque quoad
terminationem, neque tandem quoad
loquutionum varietatem repugnat.
Quorum Incarnationem præordinare,
& statuere potuit Diuina omnipoten-
tia.*

RE S P O N D E O : dicendum, quod cùm quæritur, Vtrum incarnatio possit competere Patri, aut loquimur de incarnatione quantum ad suum principium, & potissimum quantum ad suum principium effectuum, aut quantum ad suum terminum, aut quantum ad veritatem. loquutionum, quæ de incarnatione formari possunt. Si loquamur de incarnatione quantum ad suum principium, & potissimum quantum ad suum principium effectuum, tunc si facta est incarnatio, de necessitate facta est à Patre, & à tota Trinitate, quia indiuisa sunt opera Trinitatis, sicut est indiuisa substantia. Vnde Augustinus 1. de Trinitate cap. 4. ^{Tomo 3. c. 4.} *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sicut inseparabiles sunt, ita insepara-
biliter operantur.* Dionysius tamen, & Damascenus huiusmodi inseparabilitatis causam assignant unitatem substantiarum. Nam in diuinis omnibus substantiis in substantiam. Virtus enim diuina, est ipsa substantia diuina: Propter quod & Author de causis in hanc veritatem incidit dicens. *Deus in agendo non habet me-
diatorem.* Non enim agit per virtutem, quæ sit media inter substantiam, & operationem, sed immediatè agit per suam substantiam, quia sua substantia est sua virtus, & operatio. Et quia operatio

Absoluta in
divinis trā-
seunt in sub-
stantiam, sed
huius rei
causam vi-
de apud Aegi-
d. lib. en. d. 11. art. 2.
& d. 12. art. 1.

B 2 imme-

immediatè respicit virtutem , omnes tres Personæ , quia habent vnam , & eandem substantiam , habent vnam , & eandem virtutem , & vnam , & eandem operationem . Incarnatio ergo , vt dicit opus , est à tota Trinitate tanquam à principio effectiu . Nam vt supra ponebamus exemplum . Si essent tres personæ nudæ , & duæ vestirent tertiam , ita tamen quòd & tercia vestiret seipsum , omnes illæ tres personæ operarentur illam vestitionem ; vna tamen sola esset vestita ; sic etiam in proposito Pater , & Spiritus Sanctus induerunt Filium carne , & Filius induit seipsum ; propter quod tota Trinitas opera ta est incarnationem illam , sed solus Filius est incarnatus . Cum ergo quaeritur . Vtrum incarnari competit Patri , vel Spiritui Sancto . Si loquamur de incarnatione quantum ad principium effectuum , ex quo facta incarnatio , de necessitate facta est à tota Trinitate tanquam à suo principio effectiu : Incarnatio tanquam principio effectiu competit toti Trinitati , Patri , Filio , & Spiritui Sancto ; sed si loquamur de incarnatione , non quantum ad suum principium . Sed quantum ad suum terminum , sic incarnatio terminata est ad solidam personam Filij , quia sola persona Filij est incarnata . Verum quia quaestio non quaerit de eo , quod est , sed de eo , quod potest esse . (quaerit enim , quòd sicut incarnata est persona Filij , vtrum sic potuisse incarnari persona Patris , & Spiritus Sancti) Ad hoc respondet Anselmus de incarnatione Verbi , quòd non : adducens pro ratione , quòd quodlibet paruum inconueniens in Deo est impossibile . Videtur enim sibi esse inconueniens , quòd Pater , vel Spiritus Sanctus fuissest incarnatus , quia tunc in illa Trinitate essent plures Filij . Communiter tamen tenetur contrarium . Unde Magister in littera huius primæ distinctionis hanc quaestionem mouens ait : Potuissest olim , & potest nunc carnem assumere Pater , & Spiritus Sanctus .

D. Anselm.
de Incarn.
Verbi c. 4.

Magister
sent.

D. Anselm.
& Magister
senten.con-
cordes quo
modo fieri
queant.

Vt ergo appareat quomodo veritatem habeat dictum Anselmi , & quomodo veritatem habeat dictum Magistri , possumus distinguere de potentia Dei absolute , & de potentia Dei ordinata . Abso-

A lutè enim loquendo , posse respicit esse : quæ ergo habent determinatum esse , habent determinatum posse . Ignis enim , quia habet determinatum esse calidum , ideo per se loquendo , non potest nisi calefacere : sed quia Diuinum esse continet omne esse : consequens est , quòd diuinum posse contineat omne posse . Deus ergo habet omne posse , & est omnipotens , quia habet omne esse , & quia habet perfectissimum esse . Loquendo igitur de potentia Dei absoluta , solum illa non potest Deus , quæ repugnant ipsi esse , vel perfectioni ipsius esse . Ideo Deus non potest contradictoria , quia contradictoria repugnant ipsi esse : Contradic toria enim sub ente contineri non possunt , quia semper altera pars contradictionis est sub non esse . Hæc est enim contradictionis aliquid idem , & secundum idem , simul esse , & non esse , quod est impossible . Et sicut Deus non potest contradictionis , quia repugnant ipsi esse ; sic non potest quæ imperfectionis sunt , non enim potest peccare , nec potest errare , quia hec repugnant perfectioni ipsius esse . Propter quod talia nō nominant potentiam , sed impotentiam . Cùm ergo quaeritur : Vtrum persona Patris , vel Spiritus Sancti possit incarnari , cùm hoc non implicet contradictionem , sed secundum se , & secundum quod huiusmodi non ponat aliquam imperfectionem in persona Patris , & in persona Spiritus Sancti quātum ad Deitatem : ideo concedendū est , quòd secundum Dei potentiam absolutam persona Patris , vel persona Spiritus Sancti potest , & potuit incarnari . Sed si loquamur de potentia Dei ordinata , hoc erit dupliciter , quia vel loquimur de ijs , quæ ordinavit , vel quæ potuit ordinare . Quantum ad ea quæ ordinata , solum illa potest facere , quæ præuidit , & præordinavit se facturum . Nam cùm Deus sit immutabilis , semper agit voluntate æterna , & consilio æterno . Siquidem nihil hic temporaliter agitur , quod ab æterno non sit à Deo præuisum , & præordinatum . Ab æterno enim fuit præuisum , & prædestinatum , quòd solum Filius incarnaretur , iuxta illud ad Roman. 1. Qui prædestinatus est Filius Dei . Ab æterno fuit præordinatum , & prædestinatum , quòd Filius hominis , & Virginis esset

Contradi-
ctoria cur
Deus non
possit: vide
eund. Doct.
Aegid. 1.
sent. d. 20.
art. 1. & vi-
de ibidem
graue du
bitatione.

Pater , &
Spiritus Sa-
craus secun-
dum quam
potentiam
pollint in-
carnaci.

Rom. 1.

esset Filius Dei, & è conuersò. Secundùm ergo hanc potentiam ordinatam, prout dicitur possibile Deo solum, quod ordinavit se factum, potest esse verum dictum Anselmi: quod Pater non potest incarnari, nec Spiritus Sanctus, quia non fuit præordinatum, & prædestinatum à Deo. Sed si volumus potentiam Dei ordinatam referre non solum ad ea, quae ordinavit, sed quæ ordinare potuit, sic Pater, & Spiritus Sanctus potuerunt incarnari, quia si voluisse Deus potuisset hæc ordinasse. Et si esset hoc inconueniens, vt videtur sentire Anselmus, secundùm hunc ordinem, quem videmus: non esset inconueniens secundùm aliud modum ordinis, quia comprehendere, & metiri diuinam potentiam non possumus; Et quod non videtur conueniens secundùm hunc ordinem, quem videmus, posset esse conueniens secundùm aliud modum ordinis, qui est nobis ignotus. Aliqui tamen derident hunc modum distinguendi, cum dicimus aliquid esse possibile Deo secundùm potentiam absolutam, & aliquid secundùm potentiam Dei ordinatam: dicentes nihil posse procedere à Deo, nisi secundùm Dei potentiam ordinatam. Quod verum est, accipiendo Dei potentiam ordinatam, non solum pro eo, quod ordinavit, sed pro eo, quod ordinare potuit. Nam si Deus alia faceret, quam faciat, alia ordinasset, quam ordinavit. Nam omnia, quæ facit in sapientia facit, & per sapientiam suam ordinat quicquid facit: & quia potentiae rationales sunt ad oppositam, Deus potuit Mundum creare, & non creare, & tunc Mundum creavit, quando per sapientiam suam Mundum creare ordinavit.

Viso quid sit dicendum de incarnatione Patris, & Spiritus Sancti quantum ad incarnationis principium, & quantum ad incarnationis terminum. Restat videre, quid dicendum sit de incarnatione quantum ad veritatem loquutionum, quæ de ipsa formari possunt. Potuit enim incarnari Pater, sicut incarnatus est Filius, sed non oportet, etiam si incarnatus esset Pater, sicut incarnatus est Filius, quod verificaretur de incarnatione Patris, quicquid verificatur de incarnatione Filii, quia licet incarnatione Filii sit

Aegid.super iij.Sent.

missio Filii, non tamen incarnatione Patris esset missio Patris. Nam hoc modo persona mittit personam, quia persona operatur per personam. Ideo vult Augustinus, quod mitti est cognoscere, quod ab alio sit, cui ergo non competit esse ab alio, non competit mitti. Sed de hac missione sufficienter tractauimus in primo. Nunc autem scire sufficiat, quod licet Filius dicitur missus in carnem, quia Filio competit esse ab alio. Si enim Pater assumere carnem appareret visibilis, & posset conuersari nobiscum, & verificaretur, vel

B posset verificari de eo, illud Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Sicut verificatur de Filio, sic etiam si Pater assumere carnem, verificaretur de eo, quod minorauit, vel exinanuit semetipsum formam serui accipiens, sicut verificatur de Filio, sed ex hoc non diceretur missus, sicut dicitur missus Filius, quia Patri secundum quod Deus non competit esse ab alio, sicut competit Filio, quia Filius etiam secundum quod Deus habet esse à Patre. Nam in diuinis, quicquid sit de persona mittente ad hoc quod persona dicatur mittere. Persona tamen missa oportet quod sit ab alio, vt possit dici persona missa.

Baruch.3.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod inconueniens est Patrem incarnari secundum istum ordinem, quem videmus, quia sufficit incarnatione Filii non solum ad redemptions totius Mundi, sed etiam ad redemptions multorum Mundorum si essent multi Mundi. Vel possumus dicere inconueniens esse Patrem incarnari, secundum ea quæ ordinavit Deus, sed si voluisse, potuisset alia ordinasse. Propter quod sub hac conditione: si Deus vellet: Persona Patris, & Spiritus Sancti posset incarnari, est penitus concedenda.

D Ad inconueniens autem, quod adducit Anselmus, posset responderi, quod secundum naturam diuinam, quæ non potest esse nisi una, non potest esse nisi unus Filius in diuinis, sed tam secundum naturam diuinam, quam secundum naturam assumptam, & potissimum si persona diuina alia à persona Filii assumpsisset

Potestia ordinata accepitur non solum pro eo, quod Deus ordinavit, verum etiam pro eo quod ordinavit.

Incarnatione Patris non est missio sicut est incarnatione Filii, quia Pater non habet esse ab alio.

Si alia Persona diuina a Persona Filii natura humana assumere, & ipsa quaque Filius dici possit, ratione naturae assumptus.

carnem, possent ibi esse plures filij, unus secundum naturam diuinam, & aliis secundum naturam assumptam: Vel possunt ibi esse plures filij secundum plures naturas assumptas, si plures personae diuinæ plures naturas assumpſissent. Potest ergo in diuinis esse pluralitas filiorum, modo quo dictum est, ex pluralitate naturarum, sine aliquo inconuenienti.

Ad secundum dicendum, quod secundum idem non possunt opposita simul eidem inesse, sed secundum aliud, & aliud possunt; quia Aethyops est albus secundum dentes, & niger secundum partes alias; sic eadem persona Patris est ingenita secundum diuinitatem, & potest esse genita secundum naturam assumptam.

Ad tertium patet solutio per iam dicta, quia licet incarnatio Filij possit dici missio, quia Filius habet esse ab alio, tamen si Pater incarnaretur, eius incarnatione non diceretur missio, quia Pater non habet esse ab alio.

Ad quartum dicendum, quod non plus est de bonitate in pluribus personis diuinis, quam in una tantum, nec plus de virtute, nec plus de efficacia, quia una & eadem simplex virtus, & bonitas est tota simul in qualibet persona diuina. Ideo cantat Ecclesia, quod non unius, quam duarum, siue trium personarum minor est efficacia. Non ergo plus de bonitate esset unitum carni ex incarnatione Patris, & Filij, quam ex sola incarnatione Filij. Concedimus tamen, quod incarnato Filio adhuc posset incarnari Pater, si vellet, loquendo de potentia absoluta, quia ex hoc contradicatio nulla sequeretur. Neque ex hoc ponetur aliquis defectus in persona Patris, tamen, ut patet per habita, non debet Ecclesia exspectare, ut Pater incarnetur, quia ex incarnatione eius non esset unita carni maior bonitas.

Ad quintum dicendum, quod licet omnia absoluta in diuinis sint idem, quod Dei substantia, quia ibi potentia, & voluntas sunt idem quod substantia; tamen huiusmodi plura attributa non sunt synonyma, sed sumuntur, secundum aliam, & aliam rationem, vel secundum aliam, & aliam habitudinem, ratione cuius aliqua dicimus Deum posse, quæ

non dicimus velle; quia posse est respectu oppositorum, sed velle simpliciter loquendo respicit alterum oppositorum tantum. Est enim haec quæſtio satis tractata in libro Perihermeniarum, quia potest tunica incidi, & non incidi, tamen in effectu non erit nisi alterum illorum: sic Deus, quia quæcunque voluit, fecit, & sic est in effectu, sicut vult; ideo licet possit opposita, tamen quia in effectu, non possunt esse opposita, velle, ad quod sequitur effectus, oportet quod sit determinatum ad alterum oppositorum. Pater ergo potest, & potuit incarnari, dato quod noluerit, & non velit incarnari.

ARTIC. V.

Vtrum plures Personæ diuinæ possint assumere unam, et eandem naturam numero. Conclusio est negativa.

C D.Thom.3.p.q.3.art.6. Caiet.Medina.Silvius ibidem. Scot.in 3.d.1.q.2.Bonau.in 3.d.p.q.3. art.1.Richar. q.4.Dur.q.3.Argentina q.2.art.1.Suarez tom.1.in 3.p.disp.13.sect.5. Vasq in 3.p.disp.26. C. rera in 3.p.q.3.art.6.disp.1.Valentia tom.4.disp.1.q.3.pun.3.Rada tom.3.controu.1.art.4.



VINTO queritur. Vtrum plures personæ diuinæ possint assumere unam, & eadem natura numero. Et videtur quod non. quia Anselmus 2.lib.Cur Deus homo. cap. 20. secundum capitulationes antiquorum librorum ait: *Plures personæ nequeunt unum, & eundem hominem assumere.*

D Athan. in Symb. Præterea unio naturæ:assumptæ dicit unionem in persona, iuxta illud: *Vnus non confusione substantiæ, sed unitate personæ.* Si ergo assumptio requirit unitatem personæ, non nisi una persona potest aliquam, vel alias naturas assumere.

Præterea assumens, & assumptus communicant sibi idiomata. Nam quicquid dicitur de Dei Filio, potest dici de homine illo, cuius naturam assumpsit Dei Filius: si ergo eandem naturam possent assumere Pater, & Filius, ille homo esset Pater,

Pater, & Filius, & esset confusio personarum.

Præterea omnis natura, quæ non est suum esse multiplicatur secundùm multiplicationem suorum suppositorum: sed natura humana, non est suum esse; si ergo plures personæ diuinæ assumerent unam naturam humanam, essent plures homines, propter plura supposita, & non essent plures homines, sed unus, propter naturam assumptam. Quod implicat contradictionem, & est impossibile.

I N C O N T R A R I V M est: quia natura humana potissimè est assumptibilis, quia est ad imaginem Dei: sed eadem natura numero est ad imaginem trium personarum, ergo potest assumi à tribus personis.

Præterea maior videtur esse differentia plurium potentiarum animæ, quæ differunt secundùm absoluta, quam plurium personarum, quæ differunt solum secundùm relata: sed plures potentiae possunt vniuersi in uno membro, quia organum tactus, qui est diffusus per totum corpus, stat simul cum organis aliorum sensuum, qui determinant sibi specialia membra: ergo &c.

Præterea quorum maior est conuenientia, facilior est unio: sed natura humana assumpta à Verbo magis conuenit cum Patre, quam alia natura humana: si ergo Pater posset incarnari, & posset assumere aliam naturam humanam, ergo multò magis posset assumere illam naturam assumptam à Verbo, quo posito plures personæ assūpsissent eadē naturam.

R E S O L V T I O .

Si assumptio immediate terminetur ad naturam Diuinam, in qua Personæ conuentiunt, possunt tres Personæ Diuinae unam, & eandem numero humanam naturam assumere, & esse unus homo in una humanitate. Si vero assumptio immediate terminetur ad ipsam personalitatem, in qua differunt, & arietatem habent: non possunt assumere unam, & eandem naturam numero. atque ita explicatur sententia D. Anselmi.

R E S P O N D E O : dicendum, quod

A scripta communia dicunt circa hoc esse contrarias opiniones. Aliqui enim dicunt plures personas posse assumere eandem naturam numero. Aliqui tamen contrarium asserunt. Anselmus verò, vt ^{D. Ansel.} patet in auctoritate præassignata, planè asserit, quod plures personæ nequeunt unum, & eundem hominem assumere: cùm ergo assumptio dicat quamdam unionem ex unibilibus: ex unionibus iam factis, possumus arguere de unione possibili.

B Possumus autē loqui de quatuor unionibus iam factis. Tres enim sunt ipsarum creaturarum ad inuicem. Quarta est ipsius Verbi ad naturam humanā. Videmus enim primò, quod cibus unitur cibato. Videmus secundò, quod quatuor elementa siue quatuor miscibilia unitur in mixto. Videmus tertio, quod anima rationalis unitur carni. Videmus quartò, quod humana natura est unita Verbo. Primæ enim duæ uniones, prout cibus unitur cibato, & prout elementa miscibilia unitur in mixto includunt confusione substanciali, quia non manet substantia cibi,

C sed conuertitur in cibatum; sic etiam elementa miscibilia secundūni substantiam non manent in mixto; sed manent secundūm virtutem, quia aliquo modo saluat virtus eorum. Non enim manent elementa in mixto secundūm substantiam, sed facta compositione in materia illa elementorum inducitur una forma mixta, quam consequuntur qualitates mediæ. Nam in forma mixta non est tanta caliditas, sicut est caliditas ignis, nec tanta frigiditas, sicut est aquæ, sic etiam non est tanta humiditas, sicut est aeris, nec tanta

Elementa non manent in mixto secundūm substantiam, sed tantum secundūm virtutem.

D siccitas, sicut est terræ, sed sunt qualitates mediæ, in quibus aliquo modo referuantur ista extrema: ideo vt dictum est, miscibilia in mixto confunduntur, id est non manent secundūm substantiam, manent autem modo, quo dictum est secundūm virtutem: Sed tertia unio, quæ est animæ rationalis ad carnem, aliquo modo est sine confusione substanciali, quia quod est ibi spirituale, videlicet anima rationalis, manet secundūm substantiam suam in spiritualitate sua, & quod est ibi corporale, videlicet caro, manet secundūm substantiam in sua corporalitate: & ideo hæc

*Vniuersitas
rationalis
ad carnem,
magis re-
präsentat
vniuersitatem
humana-
m ad Deum,
quoniam que-
cunque alia
vniuersitas
ratio-
ne imper-
mixta tonis
suos blandit.
D. Athan.
in Symb.*

hæc vno magis repræsentat vniuersitatem humanae naturæ ad Deum, vbi quod est humanitas, manet ut humanitas, & quod est Diuinitas manet ut Diuinitas: & ideo dicitur in Symbolo Athanasij. *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus.* Tamen quantumcunque sit simile, ut supra testigimus, est valde dissimile. Est enim dissimile, quantum ad personam, quantum ad naturam, & quantum ad ordinem vnius ad aliam. Quantum ad personam quidem; quia anima rationalis, & caro, ut ex superioribus aliquo modo haberet potest, faciunt ad constitutionem personæ hominis, sed humanitas nihil facit ad constitutionem personæ diuinæ, vel ad constitutionem Verbi; sed substantiatur in persona Verbi ab eterno in esse constituta. Est enim ibi dissimilitudo quantum ad naturam, quia ex anima & carne, ut supra tangebatur, constituit vna natura communis, & tertia, quæ dicitur humanitas; sed ex humanitate, & Deitate, nulla natura communis, & tertia constituitur: ideo dicit Damascen. lib. 3. quod in Christo Domino nostro Iesu non est communem speciem accipere. Est etiam ibi dissimilitudo quantum ad ordinem, quia in alio puro homine prius vniatur natura animæ, ad naturam carnis, & est ibi prius vno in natura, quam fiat vno in persona. Prius enim anima, & caro vniuntur ad inuicem, & postea fit vno in persona, quia ex tali vniione constituitur persona; sed in vniione humanitatis ad Deitatem in Christo est & conuersò, quia prius hec due naturæ intelliguntur vniuersi in persona Verbi, & postea sic vnitæ intelliguntur vniuersi ad inuicem: ideo signanter Athanasius, cum prius dixisset, non duo tamen, sed unus est Christus: postea subdit: *Vnus non confusione, substancia, sed vnitate personæ.* Unus ergo non confusione substanciali, sicut cibus vniatur cibato, vel sicut miscilia vniuntur in mixto. Nec est ista vno omnino, sicut anima rationalis, & caro vniuntur ad inuicem, quod huiusmodi vno prius est naturarum ad inuicem, quam sit vno in persona, cum ex vniione naturarum fiat constitutio personæ. Sed in Christo primò est vnitæ secundum vnitatem perso-

*Natura hu-
mana im-
mediatè v-
nitæ est Pe-
sonæ Verbi,
& mediatè
Deitati.*

A ne, vt quod natura humana est vnitæ personæ Verbi, & persona Verbi semper est vnitæ Deitati, oportet ex hoc, quod natnra humana sit vnitæ Deitati. Ex his autem potest haberi via ad soluendam questionem propositam; Vtrum plures personæ Diuinæ possint assumere vnam naturam humanam. Nam plura, vt plura, & vt sunt distincta, & alia, in vnum conuenire non possunt: Et ad hoc vadit dictum Anselmi, quod plures personæ nequeunt vnum, & eundem hominem assumere. Addit etiam ibi hoc fieri non posse in vnitate personæ, plures enim personæ, vt sunt distinctæ personaliter in vnitatem personæ, vnam naturam non possunt assumere. Nam plura conuenire in vnum, vel conuenire in assumptione vnius nature, non potest esse, vt differunt, erit ergo vt conueniunt. Dicemus ergo, quod in diuinis est dare essentiale, & absolutum, in quo personæ conueniunt: & personale, & relatiuum, in quo differunt. Vnam ergo personam assumere vnam, & eandem naturam sine alia, vel cum alia, potest esse, quod sic, & potest esse quod non: nā si ista assumptione terminetur ad illud, in quo personæ conueniunt, & ad naturam diuinam, in qua conueniunt, tunc plures personæ, non vt plures, & vt differunt, sed vt sunt vnum in natura diuina, & vt conueniunt poterunt assumere vnam & eandem naturam humanam, & else vnuus homo in vna humanitate, sicut sunt vnuus Deus in vna Deitate. Sed si hæc assumptione non terminetur ad naturam diuinam, in qua personæ conueniunt, sed ad ipsam personalitatem, vel ad ipsam personam, in qua differunt, sic plures personæ diuinæ non possent assumere vnam naturam humanam, quia tunc assumerent eam in vnitate personæ, vel in vna personalitate, in qua vnitatem non habent. Nam licet in diuinis in natura, & in essentia sit vnitæ: in personis tamen est alietas. Concludamus ergo, & dicamus, quod in diuinis natura est inseparabilis à personis, & è conuersò, personæ sunt inseparabiles à sua natura; id est à natura diuina. Et ideo quia inseparabiles inseparabiliter operantur, vt superius probauimus ex D. Augustino i. de Trinitate cap. 4. Non ergo potest vniuersi.

*Si plures
Personæ vt
sunt vnum
in natura
Diuina assu-
merent: eā-
dem natu-
ram huma-
nam, essent
vnuus homo
in vna hu-
manitate, si-
cunt vnuus
in Dei-
tate.*

vñiri natura diuina naturę creatę, nisi A vniatur & persona, & è conuersò; sed ista vnio vel erit primò, & immediate ad ipsam naturam diuinam, & mediante tali natura fiet vnio ad personam, vel ad personas, & è conuersò. Si enim fiat vnio ad naturam, & hoc modo fiat vnio ad personas, sic plures Personę diuinę, imò omnes tres Personę, sicut habent vnam, & eandem naturam diuinam, sic poterunt assumere vnam, & eandem naturam humānam. Sed si fiat è conuersò, quòd vnio fiat ad personam diuinam, & mediante persona diuina fiat ad naturam diuinam, quia talis vnio fiet in vnitate persone, sic vna natura non poterit assumi, nisi ab vna persona. Hoc est ergo, quod Anselmus ait: *Cur Deus homo. lib. 2.* Quòd plures personę vnum, & eundem hominem nequeunt assumere in vnitate persone. Propter quod si personalitas est ratio, quare fiat ista vnitas, & ista assūptio, cùm cuilibet persona corresponeat sua personalitas, cuilibet persona respondebit, & assignabitur sua vnio, idest propria vnio, & propria assūptio.

Vnde quidam Scriptores moderni temporis in hanc veritatem inciderunt, sed non competenti medio. Dicunt enim, hanc questionem soluentes, quòd de ratione personę est essentia, & proprietas constitutiua persona, & ex hoc soluunt questionem propositam, dicentes, plures personas posse assumere vnam, & eandem naturam numero, potest intelligi dupliciter. Vno modo, quòd quilibet persona fieret suppositum illius humanę naturę immediatius ratione essentię, quam ratione proprietatis constitutię: alio modo è conuersò. Primò plures personae possunt accipere eandem naturam numero: secundò non. Isti ijdem incident in istam, & eandem veritatem, quam conclusimus. Volunt enim quod essentia vt est constitutiua persona, possit esse ratio, quòd plures personae assumant vnam, & eandem naturam, sed proprietas personalis else non potest. Illud tamen medium, vel ista ratio, per quam declarant propositum, est incompetens. Nam non solum proprietas personalis, sed etiam ipsa essentia, vt est constitutiua persona, differenter, siue differenti modo se habet

ad personas, vel habet esse in personis. Nam essētia in Patre est, vt non communicata ab alio, & in Filio vt est communicata à Patre; in Spiritu Sancto, vt est communicata ab utroque.

Plures ergò personae non possunt accipere vnam, & eandem naturam humānam, vt sunt plures, & vt distinguuntur, & differunt, sed vt sunt vnum, & vt vniuntur, & conueniunt. Non ergo poterit fieri talis assūptio secundum essentiam constitutiua personae, secundum quem modum differenter se habent ad eam, sed fiet secundum essentiam, vt est vnitia personarum, & vt communiter habent eam.

Dubitatio I. Lateralis.

Vtrum duæ personæ tantum possint assumere vnam, & eandem naturam numero. Conclusio est negativa.



LTERIVS fortè dubitaret aliquis, Vtrum duæ personæ tantum possint assumere vnam, & eandem naturam numero. Et videtur quòd sic, quia communiter conceditur, quòd plures personae possunt vnam, & eandem naturam numero assumere, sed duæ personae tātum sunt plures personae: ergo &c.

R E S O L V T I O.

Si assūptio vnius, & eiusdem naturae creatae terminaretur immediate ad ipsam naturam Diuinam, seu vnitatem Diuinę naturę, que communis est tribus, omnes tres Personae dicentur simul assūptissimae. Si verò ad unitatem Personae, siue ad subsistentiam relatiuam, in qua relatiuē opponantur Personae Diuinae, non possunt duæ simul vnam, & eandem naturam assumere

D I C E N D V M, quòd duæ personae tan-

Vno naturae assumptæ ad hoc. quæ pluri- bus Personis competere possit ad aliquam earundem unitatem, in qua conuenienter imme- diate terminari debet.

D.P. Aug.

tantum non possunt assumere vnam, & A eadem naturam numero, quod ista vnio, vel ista assumptio non posset terminari ad aliquam unitatem. Nam in diuinis respectu creaturæ non est nisi duplex vnitatis, naturæ, & personæ. Illa ergo assumptio vnius, & eiusdem naturæ, vel terminabitur primò, & immediate ad unitatem naturæ, & sic competit omnibus tribus personis; vel ad unitatem personæ, & sic non competeret nisi vni personæ tantum.

Assumptio ergo vnius, & eiusdem naturæ, vel competit omnibus tribus personis, si talis assumptio terminetur immediatè ad ipsam naturam Diuinam, vel competit vni personæ tantum, si talis assumptio, vel vnio terminetur immediatè ad ipsam personam, & mediante vniione ad personam fiet vnio ad naturam diuinam. Quod factum est in persona Filij, quia natura humana immediatè est unita personæ Filij, & mediante persona Filij est unita ad naturam diuinam in Filio. Sunt enim duæ naturæ, diuina, & humana unitæ in Filio propter unitatem, quam habent ad vnam personam Filij. Ad hoc autem satis posset adduci auctoritas August.lib.5. de Trinit.c.13. qui vult, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dicantur relatiuè ad creatutam, non tanquam tria, vel duo principia, sed tanquam vnum principium. Ait enim, quod si interrogeremur de Spiritu Sancto, verissimè respondeamus, quod Deus sit, & cum Patre, & Filio vnum Deus. Vnum ergo principium ad creaturam dicitur Deus, non duo, vel tria principia; Si ergo personæ diuinæ referuntur ad creaturam, quia Deus, cum sint vnius Deus, non erunt nisi vnum principium creaturæ, non duo, vel tria principia. Quod ergo dictum est de principio, veritatem habet de termino. Nam si personæ diuinæ sunt principium creaturæ, quia Deus; cum omnes tres personæ non sint nisi vnius Deus: omnes tres personæ non erunt nisi vnum principium creaturæ, non duo, vel tria: sic ut dicebatur, si assumptio humanæ naturæ terminetur ad personas diuinæ, vt sunt essentia, & vt sunt Deus, cum omnes tres Personæ non sint nisi vna essentia, & vnius Deus, omnes tres personæ, non duæ tantum, hoc modo erunt vnius termini.

nus, non tres termini creaturæ. Potest ergo tota Trinitas incarnari ut Deus, & esse vnu terminus incarnationis, cum quilibet persona diuina habeat suam personalitatem distinctam ab alijs, duæ tamen personæ simul, sine tertia, nec principium creaturæ, nec terminus vnius, & eiusdem nature creaturæ esse possunt: quia ista assumptio, & ista vnio nec terminatur ad unitatem essentialiæ, quæ est eadem in tribus, nec ad unitatem personalem, quæ est alia, & alia in vnaquaque persona.

B Aliam autem unitatem respectu creaturæ non est dare in diuinis personis, vel in aliqua diuinorum personarum; dicimus autem respectu creaturæ, quia respectu diuinæ personæ est dare unitatē duarū personarum absque eo, quod illa unitas competit tertia personæ. Nam Pater, & Filius conueniunt in communī notione respectu Spiritus Sancti, & sunt vnum principium productuum Spiritus Sancti, absque eo, quod Spiritus Sanctus, qui est tertia persona in Trinitate, sit principium productuum sui ipsius. Loquimur autem hic de productione, vel de processione aeterna, quia quantum ad processionem temporalem potest concedi, quod Spiritus Sanctus procederet temporaliter a se ipso: sic ergo est in diuinis respectu personæ diuinæ, sed respectu creaturæ duæ personæ absque tertia, nec ut principium, nec ut terminus esse possunt.

C Ad argumentum autem in oppositum, dicendum, quod plures personæ non possunt, ut patet, assumere vnam, & eandem naturam, ut sunt plures, sed ut vniuntur, & sunt unitæ. Et quia non possunt referri ad creaturam, nisi ut sint principium vnum, vel vnu terminus, cum hoc modo, quo dictum est, non possit

D competitor duabus personis si ne tertia: ideo vnam, & eandem naturam assumere ne- queunt.



Duae Personæ Diuinæ simul sine tertia, nec principium creaturæ, nec terminus vnu, & eiusdem nature creaturæ esse possunt.

Dub. II. Lateralis.

Vtrum in creaturis reperiatur vnio ad naturam mediante persona, & è conuersò. Conclusio est negativa.

LT E R I V S forte dubitaret aliquis. Vtrum ista distinctio, quæ est vnio ad naturam, & mediante natura ad personam, & è conuersò; quia est vnio ad personam, & mediante persona ad naturam, locum habeat in creaturis, vel in personis creatis. Et videtur quod sic: quia non minus, imo magis in creaturis distinguuntur persona à natura, quam in diuinis. Nam in diuinis propter identitatem persona prædicatur de natura, & è conuerso: quia verum est dicere, quod persona Patris est sua natura, & est sua Deitas, & è conuersò: natura, & Deitas Patris est persona Patris. Non autem sic est in cæteris creaturis, quia homo non est sua humanitas, siue sua natura humana, & è conuersò.

R E S O L V T I O .

In homine puro habente plures naturas, puta animæ, & corporis, quia ex prævia illarum unione persona ipsa constituitur, locum non habet quæstio. An vnio naturæ ad naturam fiat mediante persona.

DI C E N D V M, quod præfata distinctio non propriè habet locum in personis, & in naturis creatis, sed in personis, & in natura diuina; sed hoc non est ex eo, quod in diuinis minus differant persona, & natura (vt ratio arguebat) quam in rebus creatis. Propter quod ratio in oppositum non concludit, sed hoc est propter aliam causam, vt in prosequendo patebit. Sciendum ergo, quod vnio ad naturam, & per naturam ad personam, non potest propriè habere locum, nisi in persona Verbi, vbi sunt plures naturæ. Propter quod posset meritò dubita-

A ri. Vtrum oporteat prius vnam naturam vniri alteri naturæ, & postea ambas naturas vniri personæ, vel è contra. Vtrum oporteat naturam prius vniri personæ, & postea per unionem ad personam habere unionem ad naturam, sicut est in Christo, vbi natura humana prius intelligitur vnta personæ Verbi, & postea ex vniione, quam habet ad personam Verbi, intelligitur habere unionem ad naturam Verbi.

Propter quod illud Symboli: *Non duo tamen, sed unus est Christus. Unus non confusione substantia, sed unitate persona.*

B potest exponi, quod Christus est unus in duabus substantijs, vel in duabus naturis, non confusione, nec vnitate naturarum, sed vnitate personæ; non quia in Christo non sit vnio naturarum, diuinæ, & humanæ sine confusione aliqua, sed quia illæ duæ naturæ prius intelliguntur vnitæ in persona, quam esse vnitæ ad inuicem, non prius duratione, sed prius naturali intelligentia. Hæc ergo quæstio potuit habere locum in Christo de ordine vniuersum. Nam cum ibi sit vnio naturarum in persona, & naturarum ad inuicem, quam vnio intelligatur esse prius? vtrumque potuit esse, sed non vtrumque fuit. Est enim ibi propter unionem naturarum in persona, vnio naturarum ad inuicem: sed si tota Trinitas fuisset incarnata, & ad totam Trinitatem fuisset assumptio naturæ humanæ, terminata fuisset prius vnio naturæ humanæ ad naturam diuinam, in qua conuenit tota Trinitas, vel omnes tres Personæ, quam intelligatur esse vnio naturarum in ipsis Personis: sed licet in Personis diuinis modo, quo dictum est, posset esse vterque ordo, vt

D prius esset ordo unionis naturæ ad naturam, quam naturæ ad personam, & è conuerso. In creaturis tamen, vel in personis creatis habentibus plures naturas, cuiusmodi est quilibet purus homo, huiusmodi quæstio esse non potest, cum quæstio sit dubitabilis, & in talibus talis dubitatio locum habere non possit. Nam in omni puro homine, oportet, quod **per se** sit vnio naturarum, vt natura animæ ad naturam corporis, quam sit vnio naturarum ad personam, quæ ex vniione animæ, & corporis efficitur, causatur, & constituitur; Et quia non potest esse vnio natura-

D. Athanasi.
in Symb.

Humanæ na-
tura prius
vnita est
Personæ
Verbi, quam
na.ura Di-
uinæ, non
prioritate
duracionis,
sed priori-
tate natu-
ralis intel-
ligentia.

In homini
puro prius
est ordo na-
turarum ad
inuicem, acq.
vnio, quam
personæ ad
naturam.

In homine
puro perso-
na consti-
tuitur ex
vnione na-
turarum, ani-
mae nimis
& corpo-
ris.

turorum in persona, nisi in persona iam A constituta in esse, cum in quolibet puro homine constitutio personæ præsupponat constitutionem humanæ naturæ, quæ cōstituitur ex vnione plurium naturarum, ideo in homine puro nullum est dubium, vnionem naturarum ad inuicem præce de re naturali intelligentia, vnionem natu- raru in persona, sed in persona Christi, de cuius constitutione non est humanitas: quia humanitas assumpta à Verbo nō constituit personam Verbi, sed substen- tatur in persona Verbi ab eterno in esse constituta, & in eius persona non solum habet esse anima, & corpus, quæ consti- tuunt naturam humanam, sed etiam si- mul cum natura humana est ibi natura diuina. Et ideo dubiū esse potest. Vtrum prius intelligamus naturam humanam, & diuinam vniri in persona Christi, quām vniri ad inuicem, cuius solutio patet per iam dicta, quod Christus est vnu s vnitate personæ, vt prius intelligamus naturam diuinam, & humanam vniri in persona Christi, quām vniri ad inuicem: sed si tota Trinitas assumeret vnam, & eandem naturam humanam, esset ibi è C conuersò, quod prius natura humana in telligeretur coniungi naturæ diuinæ, quæ est communis tribus personis, & postea natura humana sic assumpta, & sic vnta naturæ diuinæ in telligeretur vniri tribus personis, quibus est communis natura diuina. Ex his autem potest saluari di- cētum Anselmi: quia si vnio ad naturam humanam terminetur immediate ad vni- tatem personæ, secundum talem vnionem non incarnabitur, nisi vna persona, secun- dum quem modum loquitur Anselmus, quod plures personæ diuinæ vnum hominem in vnitate personæ nequeunt assu- mere: sed si huiusmodi vnio terminetur immediate ad ipsam naturam diuinam, sic tota Trinitas ad vnam naturam hu- manam vniōnem habebit. Ex his etiam potest saluari vtraque opinio, & illa, quæ dicit, quod plures personæ non possunt assumere eandem naturam humanam, & illa, quæ ait, quod plures personæ diuinæ possunt hoc facere. Nam si fiat immediata vnio ad personam, non nisi ad vnam personam vnietur natura humana, sed si fiat huiusmodi vnio immediate ad diui-

Sententia
negās, cum
ea quæ affir-
mar, posse
plures per-
sonas ean-
dem naturā
assumere,
et cōciliatur.

nam naturam, si per plures personas vo- lamus intelligere duas personas, sic duæ personæ tantum non poterunt assumere vnam naturam humanam, sed omnes tres personæ poterunt hoc facere, quia natura diuina non duabus personis tantum, sed omnibus tribus est communis. Ratio au- tem facta in principio huius dubitationis, soluta est per iam dicta. Restat ergo solu- uere argumenta principalis articuli.

RES P. A D. ARGUMENTA ART. PRINC

Primum ergo argumentum D. Ansel- mi per habita est solutum.

Ad secundum dicendum, quod cum arguitur, quod vnio dicit vniōnem in persona: verum est de vnione facta in persona Verbi, vbi prius natura diuina, & humana intelliguntur vnitæ in persona Verbi, quām intelligantur vniri ad inuicem: sed si Deus vellet, posset fieri è conuerso, vt prius natura humana intelligatur vniri naturæ diuinæ, quām vniri diuini Personis.

Ad tertium dicendum, quod si fieret vnio naturæ humanæ ad naturam diuinam, & ex hoc vniaretur huiusmodi natura toti Trinitati, vel omnibus personis hac hypotesi stante, omnes tres personæ essent vnu homo, propter vnam naturam humanam. Et sicut omnes tres personæ, propter vnam naturam diuinam, sic sunt vnu Deus, quod non est confusio personarum, sed simul stat vntas essentiæ diuinæ cum distinctione personarum. Sic præfata hypotesi stante, omnes tres personæ propter vnam naturam assumptam, sic es- sent vnu homo, quod non esset ibi confusio personarum. Ad formam autem, arguendi de communicatione Idiomatum, dici potest, quod non communicaret sibi Idiomata ille homo, & quælibet persona, vt persona est, quia non esset facta vnio immediate in persona, sed in natura. Communicarent ergo sibi idiomata ille homo, & quælibet persona, non vt persona, sed vt omnes tres perso- næ essent vnu Deus, & vnu homo.

Ad quartum: quod natura, quæ non est suum esse, multiplicatur secundum multiplicationem suorum suppositorum: dici potest hoc verum esse de suppositis

*De facto v-
nio imme-
diatè termi-
nata est ad
personā Ver-
bi, de possi-
bili potuit
immediatè
quoque ad
naturam Di-
uinam ter-
minari.*

*In casu pos-
sibili idio-
mati com-
municatio
nō esset in-
ter perso-
nas realiter
distinguis-
tas vt sic, & im-
mediate, sed
mediata,
& vt co-
venirent in
eadem na-
tura, tūm
Diuina, tūm
humana.*

quæ

quæ constituuntur per talem naturam. Nam loquendo de ijs, qui sunt puri homines, quia supposita rerum constituuntur per humanas naturas, quot sunt talia supposita, tot sunt humanæ naturæ, & è conuerso. Sed hoc, quod dicitur, non habet locum, quia nullum suppositum diuinum constituitur in esse personali per naturam assumptam. Argumentum autem in contrarium ratione conclusionis concedantur.

ARTIC. VI.

Vtrum sit possibile, quod una persona assumat, & vniat sibi plures naturas humanas. Concl. est affirmativa.

D.Thom.3.p. q.3.art.7 Medina. & Magister Cabrera ibidem disp.1.Suar.disp.13. fct.3. Valentia tom.4. disp.1.q.3.punc.4.Silvius q.3.art.7.Scot. & Lychet. in 3.fct.dist.1.q.2.Ricchard.q.5.Dur.q.13 Aureol. q.4.art.2.



EXTO circa possibilitatem assumptionis, & vnionis, quæ ritur. Vtrum sit possibile, quod una persona assumat, & vniat sibi plures naturas humanas. Et videtur quod non. Quia natura non multiplicatur, nisi per multiplicationem suppositorum. Vnde si intelligitur natura humana abstracta ab omnibus suppositis, non intelligitur nisi unus homo. Una ergo, & eadem persona, quia non est nisi unum, & idem suppositum, plures naturas humanas non poterit assumere, cum manente unitate suppositi, non possit esse multiplicatio naturarum.

Præterea, si Christus assumeret unam aliam naturam humanam, cum per istam assumptam vocetur Iesus, secundum illam aliam posset vocari Ioannes, vel Petrus, vel aliquo alio nomine: quare eadem persona Verbi esset Iesus, & Petrus, vel Ioannes, siquidem in atomo: vel in individuo assumeret tales naturas, & consequenter individua prædicarentur de se inuicem, & esset verum dicere, Iesus est Petrus, vel Iesus est Ioannes, quod non est intelligibile.

Præterea plus distat natura diuina à natura humana, quam natura humana ab alia, sed Christus propter duas naturas, Aegid. super iij.Sent.

A D. Athan. *quas habet, humanam, & diuinam, nō dicitur duo, sed unus, iuxta illud Symboli Qui licet Deus sit, & homo, non duo tamē, sed unus est Christus.* Si ergo Christus asserueret duas naturas humanas, quia non esset duo, sed unus, non esset duo homines, quod videtur inconueniens, si haberet duas naturas humanas.

Præterea, quia duo homines sunt duæ personæ, non enim videtur intelligibile, quod sint duo homines, & non sint duæ personæ: si Christus assumpsisset duas naturas humanas, esset duo homines: ergo esset duæ personæ, quod est inconueniens.

I N C O N T R A R I V M est, quia quicquid potest Pater, potest Filius: sed Pater posset incarnari, & posset assumere aliam naturam humanam, a natura quam assumpsit Filius: ergo hoc potest Filius: ergo Filius posset assumere aliam naturam humanam ab ea, quam assumpsit.

Præterea maior fuit ostensio bonitatis in Filio, quia vniuit sibi naturam humanam in unitatem personæ, quā illud, quod facit quotidie, quia vnit sibi mentem humanam per gratiam: sed cū vniuit sibi unam mentem humanam per gratiam, adhuc potest sibi vnire aliam, & aliam mentem: ergo & primum, quod est maioris bonitatis ostensum, videlicet quando vniuit sibi unam naturam humanam in unitate personæ, potest sibi aliam, & aliam humanam naturam sic vnire: quod probare volebamus.

RESOLVITO.

Sicuti Deus ratione suæ infinitatis semper potest plures naturas de novo producere per solam mutationem factam in creatura: non enim exhaustur Diuina potentia: ita non est exhausta potentia Verbi, quin unitum humanæ naturæ, non possit adhuc uniri alteri sine sui mutatione: quamuis ista unio sit longè maior, ut puta ad Diuinum suppositum, quā unio creaturæ ad Denm per creationem, quæ non impedit, quin in creatura ipsa proprium suppositum consurgat.

R E S P O N D E O : dicendum, quod in hac quæstione sic procedemus. primò agemus de ipsa quidditate vnionis, videlicet quid est unio, de qua hic loquimur.

C Secun-

Arist. 2.
Metaph.

Secundò, quod ex quidditate rerum possumus inuestigare veritatem earum, quia secundùm Philos. in 2. Metaph. Distinctio vniuersijsque rei in quidditate, est sua distantia in veritate: ideo inuestigando quidditatem vniōnis poterimus inuestigare veritatem rerum vnitarum. Tertiò ex parte rerum vnitarum, poterimus inuestigare veritatem loquutionum nostrarum, quia veritas orationis oritur ex veritate rerum, sicut veritas rerum ex veritate quidditatum.

Vnio natu-
re creatae
ad personam
Verbi,
non dicit
mutationem
in Deo.Poteſt in
Deo eſſe
noua rela-
tio ex mu-
tatione fa-
& in crea-
tura.5. phys. tex.
43.

Propter primum sciendū, quod si queratur, quid est vniō, & specialiter vniō naturae creatae ad naturam diuinam, vel ad personam diuinam, dici poterit, quod huiusmodi vniō in Deo, non est nisi relatio quædam, & huiusmodi relatio non est in Deo ex mutatione Dei, sed ex mutatione creaturæ; potest enim esse noua relatio ad creaturā, non ex mutatione facta in Deo, sed in creatura. Potest enim dici Deus incarnatus, postquam fuit natus de Virgine, qui nō poterat dici incarnatus, antequām fuisset in Virgine, vel ex Virgine natus: sic potest dici ex tempore Dominus creaturæ, & verè Dominus, qui non poterat verè dici sic Dominus, antequām produceret creaturam. Si ergo queritur de vnitate vniōnis, de qua loquimur, dicemus, quod quidditas istius vniōnis est quædam quidditas cuiusdam relationis: nam sola relatio est id quod potest dici de altero, nulla mutatione facta in ipso, sed solū facta in alio, vt declarari habet in 5. Physic. vbi ex hoc probatur, quod ad aliquid non est motus, quia potest aliquid referri ad aliquid, nulla mutatione facta in ipso, sed sola mutatione facta in alio. Sicut ergo potest Deus verè dici dominus ex tempore, licet in Deo nulla possit cadere mutatione, sic potest dici Deus verè incarnatus, & verè vnitus carni ex tempore, quia hoc fuit, quando venit plenitudo temporis nulla mutatione facta in ipso.

Viso de quidditate vniōnis, restat videre de veritate rerum vnitarum: Deus enim producēdo creaturam, verè est causa efficiēs creature, & verè est causa conseruās, & verè est dominus creaturæ, & verè est vnitus creaturæ, vt efficiens, & conseruās; sed ista vniō per personalē vniōne habet aliquid plus, quam habeat vniō per crea-

tionē, uel per cōfseruationē, uel per donationē. Nam sicut unitus creaturæ, adhuc creatura est id, quod agit, sed non posset agere si Deus subtraheret suā operationē occultā, quia vt vult D.P. Aug. sup. Gen. Si Deus subtraheret suām operationē occultā, extincta esset operatio naturæ, vel creaturæ, sed creatura assūpta in unitate personæ, nec est quæ agit, nec est id, quod patitur, quia actiones sunt suppositorum, vt vult Damas. lib. 3. c. 34. quod agere, & pati nō attribuitur naturæ, sed supposito. Potest enim natura esse ratio agendi, cuiusmodi est natura formæ, uel ratio patiendi, & talis est natura materiæ, ipsa tamē forma nō agit, nec materia patitur, sed compositū, vel suppositū in quo habet esse natura, & forma, est id quod agit per formā, & patitur per materiā. Et ideo dicit Phil. in 1. de Anim., quod *Animā nō intelligit, sed homo per animā*. Potest ergo humanitas in Christo esse ratio agendi actiones humanas, & ratio patiendi passiones humanas. Tamē ex quo erat natura illa assumpta à Verbo, non habebat per se esse, sed habebat esse in Verbo, & nō faciebat per se, nec personā, nec suppositū. Poterat ergo natura humana in Verbo esse ratio agendi, uel patiēdi, secundūm naturā illā, sed suppositū Verbi, & persona Verbi est id quod agebat, & patiebatur secundūm eādē naturā. Ex ijs autē apparere potest, quid sit unio, de qua loquimur, & quid descendū sit de ueritate rerū vnitarū, & cōiunctarū, quia talis vniō, de qua loquimur, multū habet manifestari, & declarari per unionē, quā habet Deus ad aliā creaturā: non quod unio, quā habet Deus ad aliam creaturā sit tanta, sicut est ista, quā habet Verbū ad humanā naturā, sed illa unionē potest manifestari ista. Est enim tanta unio Dei ad quamlibet creaturā, ut nulla creatura possit incipere esse sine Deo, nec conseruari in esse sine eo, nec agere sine ipso, & sic totaliter depēdet ab ipso, ut sit totaliter serua eius, & Deus sit totaliter Dñs cuiuslibet creaturæ: tamē adhuc ista unio, quā habet Deus ad quamlibet creaturā, non est tanta sicut est unio, quam habet Verbū ad naturā humanā, quia nō obstante vniōne, quam habet Deus communiter ad creaturas, creaturæ constitutū suū suppositū, cui supposito competit agere, & pa-

Si Deus sub-
traheret
suum con-
cūsum, nul-
la esset ope-
ratio crea-
turarum.

D.Damas.

1. de Anim.
tex.

Vno Dei & pati. Ad propositum ergo potest considerari creatura, ut est natura, & vt est per creationem non suppositum: ut est natura potest esse natura agendi, vel patiendi, sed vt est suppositum, potest ei competere agere, & pati. Natura vero assumpta à Verbo, sic est unita Verbo in unitate personæ, vel suppositi, quod non constituit nec suppositum, nec personam, sed substentatur in supposito, vel persona Verbi, ab æterno in esse constituto. Propter quod nec agere, nec pati competit illi naturæ, sed persona Verbi agit, & patitur, secundum naturam illam.

Patet ergo quid dicendum sit de unitate rerum sic unitarum: nam quia ista unitio facta est in unitate suppositi Verbi, cum natura sit illud, secundum quod aliquid potest agere, & pati, & suppositum sit illud, quod agit, & patitur, quia anima non intelligit, sed homo per animam. Et corpus propriè non patitur, sed homo per corpus. Ideo persona Verbi, & suppositum Verbi est id, quod agit, & quod patitur, per humanam naturam. Ipsa vero humana natura, nec agebat, nec patiebatur. Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quod longè est maior unitio Verbi ad naturam humanam, quam sit unitio Dei communiter ad aliam creaturam, tamen hæc unitio, per illam potest declarari. Nam sicut Deus, quia est infinitus, ideo non potest adæquare creaturæ, nec potest tot creaturas producere, quod totaliter exhauriatur potentia eius, sed potest semper nouam creaturam producere, & non per mutationem sui, sed per mutationem nouæ creature productæ fieri nouiter dominus illius creature; sic non est exhausta potentia Verbi, quod unitum humanæ naturæ, non possit uniri aliæ humanæ naturæ, & adhuc alij humanæ naturæ, quia talis unitio, loquendo de Dei potentia absoluta, sicut Deo placet, sic habet fieri. De tali enim unitione loquitur Augustinus in epist. ad Volusianum, dum ait, quod in talibus tota ratio facti est potentia facientis. Patet ergo, quid sit talis unitio, de qua loquimur. & quid dicendum sit de veritate rerum sic unitarum. Patet etiæ quomodo soluta est questione proposita, quia Verbum post assumptionem unius naturæ humanæ, adhuc Aegid. super iij. Sent.

D.P. Aug.
tom. 3.

A posset assumere aliam naturam humanæ, ut etiam communiter tenent Doctores.

Dub. I. Lateralis.

Vtrum Christus assumens duas humanas naturas deberet dici unus homo, vel duo homines.

D.Thom. 3.p.q.3.art.7. Medina & Cabrera. Suar. ibid. Nazar. controu. 1. Ferrar. 4. contr. G.c. 11. Gabr. in 3.d. 1. q. 2. art. 3. dub. 4. Mars. q. 2. art. 3. dub. 3. Albertin. q. 6. Theol. circa 6. coroll. dub. 3.

B  L T E R I V S postquam dubitauimus de quidditate unitio-nis, & de veritate rerum sic unitarum, quia Verbum, postquam uniuersit sibi naturam humanam, adhuc posset unire aliam. Restat dubitare de veritate loquutionum in hac mat-teria; quia si hoc fieret, quomodo loquendum esset, & quid esset dicendum? *Vtrum Christus assumens duas humanas naturas deberet dici unus homo, vel duo homines.* Nam quicquid dicamus, vide-mur incidere in inconveniens, quia propter unitatem personæ, vel suppositi, vi-detur, quod deberet dici unus homo, & propter duas naturas assumptas, vide-tur, quod deberet dici duo homines.

R E S O L V T I O.

Sicuti tria supposita propter unam natu-ram Diuinam non sunt nisi unus Deus, ita & conuersò unum suppositum propter duas humanas naturas erit duo homi-nes. Etenim homo primò significat hu-manitatem, & deinde suppositum, in quo est humanitas: non est tamen Christus dicendus duo simpliciter, & absolute.

D I C E N D V M, quod homo magis significat naturam humanam, quam suppositum, quia ut dicitur 4. Metaphysic. non est differentia dicere, quod homo est in sanitate, & quod homo est sanus. Quod exponens Commentator ait, quod Auicenna credit, quod nomen, & potissimum nomen positum in concreto

C 2 (sicut

Homo prius
humanitatem
significat,
& deinde
suppositum.

Propter
duas hu-
manitates
Christus di-
cetur duo
homines.

Ratione v.
nus natu-
re diuinæ
tria suppo-
sita non
sunt nisi
vnum Deus.

(sicut dicimus aliquem sanum, vel albū) A primò significat substantiam, & postea accidens, vt albedinem, vel sanitatem. Dicit tamen Commentator, quòd est è conuersò. Album enim, vel sanum primò significat albedinem, vel sanitatem, & postea significat substantiam, vel suppositum, in quo habet esse albedo, vel sanitas. Et ideo non differt dicere, quòd homo est in sanitate, & quòd homo est sanus, quia sanus primò significat sanitatem, & postea significat subiectum sanum. Si ergo homo primò significat humanitatem, & postea significat suppositum, in quo est humanitas: sicut quia in uno supposito Verbi sunt due naturę, idest natura diuina, & natura humana, ideo unum suppositum Verbi est Deus, & homo: sic si in uno & eodem supposito Verbi essent dues naturę humane, illud unum suppositum Verbi esset homo, & homo: esset ergo duo homines. Quod totum contingit, quia sicut sanum primò significat sanitatem, & postea significat suppositum, in quo est sanitas, & quòd numerus aliquorum prius attendendus est secundum significatum primarium, quam secundum significatum secundarium, prefata hypothesi stante, Christus dicendus

esset duo homines propter duas humanitates, & non unus homo propter unitatem personæ, vel suppositi. Sed si volamus inter hæc distinguere, dicemus, quòd nomen impositum ab aliqua natura, vel ab aliqua forma, illud nomen significat ipsam formam, sed per suppositum significatur illud, quod est habens formam; prefata ergo hypothesi stante, Christus esset unus, habens duas humanitates, propter unitatem suppositi: sed esset duo homines propter duplē humanitatem, vel propter duplē formam, quę est humanitas. Videamus autem in suppositis diuinis modo conuerso. Nam ibi sunt tria supposita habentia deitatem, tamen, quia non habent, nisi unam deitatem, omnia illa tria supposita non sunt nisi unus Deus. Sicut ergo plura supposita habentia deitatem, quia non habent nisi unam deitatem, non sunt nisi unus Deus: si è conuerso esset unus habens plures humanitates, ille unus, propter plures humanitates diceretur plures homines.

Verùm quia intellectus hominis non quiescit, adhuc posset dubitare aliquis propter illud dictum. Symboli de Christo, quòd cùm Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Qua ergo ratione, si Christus est Deus, & homo propter duas naturas, diuinam, & humanam, non duo tamen, sed unus est Christus, propter unitatem personæ, vel suppositi.

Ad quod dici potest, quòd aliud est dicere, quòd Christus est duo absolute, & aliud est dicere hoc specialiter, Christus est duo homines: nam absolute, & simpliciter loquendo, si diceretur Christus esse duo, posset hoc referri ad pluralitatem suppositorum, vel personarum, quę pluralitas non est in Christo, sed si dicatur Christus esse duo homines, hoc esset propter duas humanitates, iuxta hypothesim factā, cùm homo secundum primarium intellectum significet ipsam humanitatem, & quantum ad secundarium intellectum significet suppositum habens humanitatem. Et si negetur, quòd Christus sit duo, ne propter hoc intelligatur esse duo supposita, vel duæ personæ: nulla est ratio, quare non debeat concedi, quòd sit duo homines, si ponantur in eo esse duæ humanitates, cùm hoc nomen homo secundum primarium significatum, ipsam humanitatem significet. Possemus tamen si vellemus distinguere inter suppositum reale, & suppositum loquutionis, vt quidam etiam Magni distinguunt, nam Christus licet non sit nisi unum suppositum reale, quia non est, nisi una persona, tamen Christus, vt habet in se duas naturas, posset esse duplex suppositum loquutionis.

Nam hæc loquutio est vera quòd Christus est homo propter humanam naturam. Et hæc loquutio est vera, Christus est Deus propter diuinam naturam, vt sit hoc modo una persona Christi, unum suppositum reale, propter unitatem personæ, & duo supposita loquutionis, propter duplē loquutionem verificatam de ipso, quòd est Deus, & quòd est homo. Et ad hoc forte posset referri dictum Athanasij, qui cum dixisset, quòd licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus: ne ista unitas referretur ad unitatem suppositi loquutionis, ostendit.

Christus
eur. nō est
dicendus
duo simpli-
citer, & ab
solutè.

D.Tho.3.p.
q.2 art.3.
ad 3. & 4.
cont.Gent.
c.49.

Licet in
Christo nō
suerit nisi
unum reale
suppositum;
Verbi, verē
etiam dici-
tur supposi-
tum huma-
nū, sive per
sona huma-
na, ratione
humana na-
tura, quam
re vera sub-
sistent.

ostendit se fuisse loquutum de vnitate A reali, secundūm quōd aliquid dicitur vnu in natura, si illæ naturæ confundantur, & fiat vna natura, vel si illæ naturæ maneāt inconfusæ in vnitate personæ. Ideo expōnendo se, subdit, quōd Christus erat vnu, nō vnitate suppositi loquutionis, sed vnitate suppositi realis, quia erat vnu in vnitate personæ. Reuertamur ergo ad propositum, & dicamus, quōd si Christus haberet in se duas humanitates, esset duo homines, quia homo secundūm suum intellectum primarium significat ipsam humanitatem. Christus ergo propter duas humanitates erit duo homines. Nam dato, quōd non dici debeat duo absolute, ne ex hoc intelligatur esse duo supposita realiter, poterit tamen dici duo homines propter duas humanitates. Quōd si dicatur, quōd Christus non poterit dici duo homines, ne sit duo supposita. Poterit responderi, quōd sufficit ad hoc, quōd sit duo supposita loquutionis, quamvis non sit duo supposita realiter, id est duæ personæ.

Aduertendum tamen, quōd Magistri D.Thom.3. sent. d.1.q. 2.art.5. in hac materia sibi contradicere videntur, nam cū priūs dixissent super 3. Sentent: quōd si vna persona assumeret duas naturas humanas, & secundūm vnam vocaretur Iesus, & secundūm aliam Petrus, licet Iesus, & Petrus non essent duo supposita, sed vnum suppositum, tamen Iesus, & Petrus non essent vnu homo, sed duo homines, quia singularitas, & pluralitas substantiui attēditur secundūm vnitatem, & pluralitatem naturæ significatē per terminum, & non secundūm vnitatem, & pluralitatem suppositorum.

Postea vero in ultima parte Summæ in D.Thom.3.p. q.3.art.7. hanc questionem mouentes, dixerunt, quōd propter duas naturas assumptas ab uno diuinio supposito, illud diuinum suppositum non esset duo homines, sed vnu homo, quia nominibus vtendūm est, secundūm quōd sunt ad significandum imposta ex consideratio[n]e eorum, quę apud nos sunt; in quibus nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum. Nam homo, qui est duobus vestib[us] indutus, non dicitur duo vestiti, sed vnu vestitus.

Aegid. super iij.Sent.

Sed hoc quod dixerunt secundò, stare non potest. Nam vt patet ex habitis, loquendum est in omnibus, secundūm quod natura patitur. Apud nos autem persona humana constituitur ex natura humana, & ideo ex alia, & alia natura humana oportet, quōd sit vna, & alia persona humana, vel aliud, & aliud suppositum. Sed in persona Christi, vel cuiuscunq[ue] personæ diuinæ, non sic est, quia persona diuina non constituitur in esse ex natura assumpta, sed vna persona diuina, vel vnu suppositum potest plures naturas humanas assumere: cū ergo hoc nomen homo, vel quodcunque aliud nomen primo significet formam, vel naturam, à qua imponitur, & posteā significet suppositum, vel personam habentem illam naturam, quia numerus aliquorum accipiens est ex primario significato magis, quam ex secundario: Ideo si vnum suppositum diuinum assumeret duas humanas naturas, illud suppositum diuinum propter illas duas humanas naturas assumptas, deberet dici duo homines, non vnu homo. Et si non posset illud suppositum simpliciter, & absolute dici duo, ne ex hoc videretur ibi esse pluralitas suppositorum, deberet tamen dici duo homines propter duas humanas naturas. Et quod dicunt de vestimento, & indumento: respondemus, quōd natura humana ad Verbum non se habet omnimodè, vt indumentum. Tamen si vnum suppositum diuinum assumeret duas naturas humanas, esset duo corpora, loquendo de corpore, quod est genus ad animal, vel ad hominem, et si esset duo huiusmodi corpora, esset duo animalia, vel duo homines, & si quodlibet eorum corporum esset indutum, esset duo induta propter duo corpora, vel duo induita propter duos homines. Dato ergo, quōd humana natura respectu Verbi se habet per omnem modum vt indumentum, etiam præfata hypotesi stante, Verbum haberet duo corpora, loquendo de corpore, quod est pars compositi, vel esset duo corpora, loquendo de corpore, quod est genus, & esset hoc modo duo induta, vel duo induti, non vnum indutum, vel vnu indutus. Concedendum est ergo etiam hoc modo, quōd non ob-

Persona humana constituitur ex natura humana in nobis, non autem in Christo.

Numerus aliquorum primo autem datur ex primario significato.

Christus nō est datus absolute, & simpliciter duo.

Vno natura humana ad Verbum nō se habet omnimodè ut indumentum.

stante vnitate suppositi, essent duo homines, non unus homo. Sic loquendum est de indumento per omnem modum propriè dicto; quia Christus propter duas naturas humanas esset duo corpora, & duo animalia. Et si quodlibet eorum esset indutum, essent duo induita, sic etiam esset duo homines. Et si quilibet eorum esset induitus, esset duo induiti. Sed si loquamur de indumento, non per omnem modum, & propriè sumpto, sed prout natura humana dicitur indumentum, tunc idem esset, Christum esse indutum, & esse humanatum. Et quia propriè loquendo Christus secundum quod homo, non est humanatus, quia idem de se ipso non

*Idem non
prædicatur
denominati-
tē de se
ipso*

prædicatur denominatiū, sed dicitur Christus humanatus, secundum quod est Deus, vel secundum quod est diuinum, suppositum, nullo pacto secundum hunc modum loquendi diceretur duo humanata, vel duo humanati, nisi esset duo diuina supposita, vel duo Dij. In hoc ergo videtur decepti præfati Magistri, quia crediderūt idem esse duo humanata, vel duos humanatos, quod duo homines. Quod patet esse falso, quia præfata hypotesi stante,

*Non est idē
dicens duo
humanata,
& duo ho-
mines.*

Christus propter duas humanas naturas esset duo homines, quia primò, & principaliter homo significat humanam formam, loquendo de forma totius, vel quod idem est, significat humanam naturam: sed esse humanatum, vel esse induitum humanitate, non potest competere, nisi Deo, vel diuino supposito. Propter quod præfata hypotesi stante, ita Christus esset duo homines propter duas humanas naturas, quod non esset duo humanati, vel duo humanata, vel duo induiti humanitate, propter vnitatem diuini sup-

*Christus si
haberet
duas huma-
nas naturas
posset dici
duo homi-
nes, non au-
tē duo hu-
manata.*

positi, vel propter vnitatem Dei. Concludamus ergo, & dicamus, non esse idem, Christum esse plures homines, & esse plura humanata, & Christus secundum quod homo non est humanatus, sed magis est deificatus, quia per illam unionem factum est, quod homo ille sit Deus. Sic etiam per illam unionem, factum est, quod Deus sit humanatus, vel factum est quod Diuina persona, vel diuinum suppositum sit humanatum, cum factum sit, quod Deus, vel diuina persona, vel suppositum sit homo. Sciendum autem,

A quod propter incarnationem Verbi magis propriè dicitur Deus humanatus, quam homo deificatus. Propter quod Damascenus lib. 3. cap. 2. concedit *Deum humanatum, & negat hominem Deificatum*. Vtrunque tamen habet suum bonum intellectum, nihilominus quidem hoc magis cōfirmat nostrum propositum, quia si propriè dicitur Deus humanatus, dicere possumus, quod si in Christo essent plures humanitates, Christus esset plures homines, si non esset plura humanata, quia non esset plures Dij, nec plures diuina personæ, nec plura diuina supposita. His itaque transcursis, restat soluere argumenta principalis articuli.

D. Damasc.

B Ad primum dicendum, quod natura non multiplicatur, nisi multiplicatione, suppositorum: uerum est de natura, quæ de se constituit suppositum, quia non possunt esse plures tales naturæ, nisi sint plura supposita constituta per naturas illas, sed natura humana assumpta à Verbo non constituit suppositum, uel personam Verbi, & ideo possunt esse in Christo plures tales naturæ assumptæ, absque hoc, quod sint ibi plura supposita, uel plures personæ constitutæ per ipsam.

C Ad secundum dicendum, quod in puris hominibus hoc est impossibile, quod Petrus sit Ioānes, & è conuerso, quia in nullo puro homine possunt esse plures humanitates. Propterea nullus purus homo, una, & eadem persona potest esse plures homines, sed sermones sunt exponendi secundum materiam. Et quia in hac materia, de qua loquimur in una persona, possunt esse plures naturæ humanæ, uel plures humanitates, illa persona poterit esse plures homines, quorum unus prædicatur de alio, quia si in eodem supposito esset musica, & albedo, illud suppositum, vel ille homo esset musicus, & albus. Propter quod albus prædicaretur de musico, & è conuerso. Sic si in eadem persona Christi esset humanitas, secundum quam vocaretur Iesus, & humanitas secundum quam vocaretur Petrus, homo Iesus esset homo Petrus, & è conuerso. Imò si bene cōsideratur hæc ratio, fortificatur respōsio nostra videlicet quod præfata hypotesi stāte, licet Christus nō esset duo simpliciter, & absolute esset tamē duo hæc,

*In homine
puro esse
nō possunt
plures hu-
manitates,
sed naturæ
humanæ.*

hæc, idest duq homines, homo Iesus, & homo Petrus. Est enim persona Filij in omni loco, & vbiique: propter quod in uno posset humanari humanitate, qua diceretur Iesus, & in alio loco humanitate alia, qua diceretur Petrus. Imò si hæc referantur ad diuinam personam, secundum quām quam duo corpora, vel duo homines possunt esse in eodem loco, posset Christus humanari in eodem loco vtraque humanitate, & esset Iesus, & Petrus.

Duo simili citer, expli cat i duali tatem sup positi: duo homines dualitatem naturæ.

Ad tertium dicendum, quòd aliud est dicere, vt patet ex habitis, quòd Christus sit duo simpliciter, & absolutè, quia ex hoc viderentur ponī in Christo duo supposita realia, idest duæ personæ; & aliud est dicere, quòd Christus est duo corpora, idest duo homines. Nam si in eodem supposito, vt in Sorte essent duæ qualitates, musica, & albedo, posset dici, quòd Sortes esset duo qualia, licet non posset dici, quòd Sortes esset duo simpliciter, & absolutè.

Ad quartum dicendum, quòd non est inintelligibile, quòd aliquis sit duo homines, propter duas humanitates, & non sit duæ personæ. Dicimus enim verum esse si loquamur de humanitatibus cōstituentibus personas, cuiusmodi sunt humanitates existentes in hominibus puris, sed humanitas, vel talis humanitas non potest esse in Christo, quæ constituta sit in esse ab æterno.

DIST. I. PARS II.

QVAE S TIO I.

De congruitate Incarnationis.



Primo, Vtrum congruum fuerit huiusmodi vñionem ad carnem, vel ad hu-

VAE S I T O de possiblitate Incarnationis, restat quærere de secundo principali, videlicet de congruitate.

Circa quod quæ remus quinque.

Primò, Vtrum congruum fuerit huiusmodi vñionem ad carnem, vel ad hu-

A manitatem fieri in Diuina natura.

Secundò. Vtrum congruum fuerit fieri in diuina persona.

Tertiò. Vtrum hæc congruitas sit tanta, quòd sit necessitas, & quòd non possemus aliter saluari.

Quartò. Vtrum talem vñionem congruentius fuerit, fieri in persona Patris, vel Spiritus Sancti.

Quintò quæretur de congruitate temporis. Vtrum congruentius fuerit talem incarnationem fieri in tempore, in quo facta est, quām in alio tempore.

B

ARTIC. I.

Vtrum congruum fuerit huiusmodi vñionem fieri in natura diuina.

Conclusio est negativa.

D.Bonau..n 3.sent.dist.5.q.4.Alenf.3.p.q.4. memb.1. Richard.dist.5.art.1.q.1.& 2. Aluar.in 3.p. disp.10. Medina q.2.art.1. Silvius q.2. art.1. Cabrera in Comm.q.2.art.1.disp.1. Valquez in 3.p. disput.14. Suarez disp.7.sect.2. Rada tom.3.controu.2. art.3. Nazarius in 3.p.q.2.comment. super art.1. Thom. de Arg.in 3.d.5.art.2.



D primum sic proceditur. Videtur, quòd congruū fuerit huiusmodi vñionem fieri in natura. Nam in vñdecimo Cōcilio dicitur suis- se decretum, non

Conc.Chal edon,vñ ex quatuor generali bus, ac celeberrinis Concilijs.

duas naturas, sed vñā naturam Dei Verbi suisse incarnatam, sed illud quod factum est, debet congruum reputari: ergo &c.

Præterea dicitur in Symbolo, quod *scut anima rationalis, & caro vñus est homo, ita Deus, & homo vñus est Christus.* sed anima rationalis, & caro sunt vñus homo, quia ex eis constituitur vna natura aliqua, vt vna natura humana: ergo Deus, & homo sic erunt vñus Christus, qui ex deitate, & humanitate sic constituitur vna natura aliqua, quæcumque sit illa.

Præterea in diuinis idem est natura, & persona, quia prædicatione identitatis vnum prædicatur de alio, vnde bene dictum est, quòd persona diuina est natura diuina,

diuina, & è conuersò; sed in his quæ sunt idem non potest fieri vnio in vno, quin fiat in alio; si ergo facta est vnio in persona, facta est vnio in natura.

I N C O N T R A R I V M est, quia quando duæ naturæ sic se habent, quod vna natura non sit alia natura, nec ibi ex duabus naturis resultet natura tertia, non debet dici, quod ibi facta sit vnio in natura; sic autem se habent humana natura, & diuina in Christo: ergo ibi non est facta vnio in natura. Præterea si esset in Christo facta vnio in natura, cum natura sit communis omnibus tribus personis, omnes tres Personæ, & tota Trinitas diceretur incarnata; hoc autem est falsum, ergo &c.

R E S O L V T I O .

In ratione principij effectuvi tota Trinitas est unita carni, nam tota Trinitas incarnationem operata est per unam, & eandem virtutem effectuam, cuius operatio intima est productæ rei. At quantum ad unionis terminum sola persona Filij immediate incarnata est, quamvis congrue, & competenter, hoc est, sine aliqua confusione potuisse hæc vnio ad naturam quoque diuinam immediate terminari, quæ est sua actio, & suum esse.

Primum
ürquinque
distinc*tio*n*es*.

R E S P O N D E O dicendum, quod sunt hic necessariæ quinque distinctiones: Nam cum dicitur, quod Deus est vnitus carni, vel naturæ humanæ, vel ibi Deus stet pro Incarnationis principio, & potissimè pro principio effectivo, vel pro Incarnationis termino.

Secunda distinc*tio* est, quod cum dicitur Deus est incarnatus, vel ibi Deus stet pro natura, vel pro persona.

Tertia distinc*tio* est, quod cum dicitur, Deus est incarnatus, siue ibi Deus stet pro natura, siue pro persona, aut hoc intelligitur immediate, aut mediately, ut dicatur, quod natura diuina immediate est vnitæ carni, & mediante natura est vnitæ personæ, vel è conuersò.

Quarta distinc*tio* est, quod cum dicitur, Deus est incarnatus, siue ibi Deus stet pro natura, siue pro persona, aut loquimur

de incarnatione actu facta, aut de incarnatione possibili.

Quinta autem, & ultima distinctio est, quod cum dicitur, Deus est incarnatus, vel vnitus carni, si ibi Deus stet pro natura, aut hoc intelligitur, salua vtraque natura, aut altera, vel vtraque natura confusa.

Propter primum sciendum, quod cum dicitur Deus incarnatus, vel vnitus carni, si ibi Deus stet pro principio effectivo, dicetur, quod ibi Deus stat pro natura.

Et quia natura diuina est communis toti Trinitati, dicemus hoc modo, quod tanquam principium effectuum tota Trinitas est vnitæ carni. Nam incarnationem illam tota Trinitas fecit, & tota Trinitas

Tota Trinitas est vnitæ carni tanquam principium effectuum, non tanquam terminus.

fuit principium illius incarnationis. Pater enim, & Spiritus Sanctus induerunt Filium carne, & ipse Filius induit seipsum carne. Illius ergo incarnationis terminus, est sola persona Filij, quia sola persona Filij est induita carne, & ad solam personam Filij terminata est talis incarnationis. Propter quod incarnationis terminus est vna persona tantum, sed incarnationis principium, & potissimè principium effectuum est natura diuina, & tota Trinitas, cui est communis natura diuina, nam opera totius Trinitatis, vel omnium trium personarum sunt indiuisa, & inseparabilia, quia omnium trium personarum est indiuisa substantia, vel natura. Operatio enim egreditur à virtute: & quia virtus diuina est ipsa natura diuina, vel ipsa diuina essentia, consequens est, quod omnium trium personarum sit vna virtus, & vna operatio, sicut omnium trium personarum est vna natura, & vna essentia.

Sed dices, quæ vnio est ista, quæ dicitur esse Dei ad carnem, vel ad humanitatem, tanquam ad principium effectuum? Dicemus, quod Deus, ut est principium effectuum illius carnis, vel illius humanitatis, cuius vnio terminata est ad personam Filij, est valde coniunctus illi carni, vel humanitati. nam secundum Philosophum. *Quod non tangit, non agit.* Oportet ergo, quod sit tactus qui dam, & quædam vnitas principij effectui ad suum effectum. Videmus autem in rebus tria principia effectiva, attem-

Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa ratione indiuisa substantia, seu virtus operatio.

Declaratur in quo consistat vnio in ratione operantis

naturam, & Deum. Ut autem ars est principium effectuum, modica est vno talis principij ad suum effectum, quia ars non agit nisi mediante corpore, vel mediante organo corporali, ut carpentarius non agit nisi mediante dōlabra, vel mediante terra, quae sunt quædam instrumenta corporalia, & quædam corpora: & ædificator agit mediante trulla cementaria, quæ est quoddam corpus. Commentator autem in 12. dans differentiā inter actionem artis, & actionem naturæ, vult, quod corpus agens in aliquod corpus, non agat nisi in extremitatibus eius, sed natura agit in corpore toto. Modica ergo est vno principij effectui ad suum effectum, prout tale principium est ars. Major vero est vno principij effectui, ad suum effectum, prout tale principium est natura, quia licet ars secundum quod huiusmodi non se profundet in suo effectu, quia non agit nisi in extremitatibus eius, natura autem se profundat, quia agit in corpore toto. Sed vno principij effectui ad suum effectum est maxima, prout tale principium est Deus, quia profundior,

*Operatio
Dei est nobis intimitas & coniunctio, in modo
intimior & coniunctior, in modo
dolito.*

D.P. Aug.

& intimior est operatio Dei, quam sit operatio naturæ, iuxta illud Augustini 3. Confess. qui loquens Deo ait, quod, *Deus est intimior nobis intimo nostro: & 9. super Genesim loquens, & comparans operationem Dei ad operationem naturæ, operationem Dei vocat latentem, & occultam, dicens, quod si Deus subtraheret occultam operationem, extincta remaneres operatio naturæ.* Loqui ergo de vnione Dei ad carnem Christi, vel ad humanitatem eius, conuenit dupliciter. Nam si loquimur de tali vnione, tanquam ad principium effectuum, sic natura diuina, & omnes tres Personæ, quibus est communis illa natura, est tale principium effectuum: sed si loquamur de tali vnione, vel incarnatione, nō quātūm ad eius principiū effectiuū, sed quātūm ad eius terminū, sic sola persona Filij potest dici incarnata, & est illius incarnationis terminus.

Viso quid dicendum sit de incarnatione diuina secundū primam distinctionem, prout Deus est illius incarnationis principium, vel illius incarnationis terminus, videndum est, quid dicendum sit de illa incarnatione secun-

A dūm distinctionem secundam. Nam Deus potest stare pro natura, & persona. Nam licet hęc loquutio Deus est incarnatus: si loquamur de Incarnationis termino; quia illa incarnationis terminata est ad solam personam Filij, dicemus, quod sola Persona Filij est incarnata: Verum quia persona Filij non est sine natura Filij, si est incarnata, & unita carni persona Filij, oportet, quod sit incarnata, & unita carni natura eius. Tunc ergo est necessaria distinctio. Nam licet utrumque sit verum, quod tam persona Filij, quam natura eius sit unita carni, tamen de persona hoc verificatur immediate, de natura autem mediata. Ut loquamur hic de immmediato, & mediato, prout in tanta materia loqui possumus. Dicemus enim, quod immediata facta est vno ista in Persona Filij, & mediante unitione facta in persona Filij, facta est vno in natura, quia tam persona Filij, quam natura eius sunt unita carni. Sed ad plenum intellectum questionis propositæ, oportet recurrere ad distinctionem quartam. Erat autem quarta distinctio, quia vel loquimur de Incarnatione iam facta, vel de incarnatione possibili fieri. Nam incarnatione iam facta immediate respicit personam Filij, & mediante persona respicit naturam. Posset tamen, si vellet Deus, fieri incarnatione, & ē conuerso, sicut supra diximus. Vtrum plures personæ possint incarnari, assumendo unam naturam humanam. Dicebatur enim ibi, quod ista assumptione, vel potest immediate terminari ad unitatem personæ, vel immediate ad unitatem naturæ, ut dicatur Deus incarnatus, non prout Deus stat pro persona Filij, vel pro aliqua una persona speciali, sed prout stat pro natura diuina, ut est communis tribus personis, secundūn quē modum tota Trinitas posset assumere unam humanitatem, & essent omnes tres personæ unus homo in una humanitate, sicut tres sunt unus Deus in una deitate.

Ergo si queratur de unitate iam facta. Dicemus, quod facta est vno immediate ad personam, & mediante persona facta est ad naturam. Sed si queratur de unitate possibili. Dicemus, quod si vellet Deus, posset fieri & ē conuerso, modo, quo dictum est. Cum ergo arguitur de con-

Quomodo
recedit intel-
ligatur hęc
propositio
Deus est in
carnatus.

Incarnatio
ē modo,
quo facta
est; imme-
diata respi-
cit personā
Verbi.

Natura diu-
na, quia est
suum esse, &
sua actio po-
tuisse im-
mediate ter-
minare na-
turam hu-
manam.

congruitate vnionis ad naturam, quan- A tum ad vniōm factam terminata est vniō ad naturam mediātē, non immediatē, sed si queratur de vniōne possibili, congruē, & competenter posset terminari vniō ad naturā immediatē, & mediante natura, terminari ad personas. Ista autem competentia, & congruitas oritur ex differentia, quam habet natura diuina ad naturas alias, quia natura diuina est suum esse, & sua actio, quod non competit alicui alij naturæ. Posset ergo hoc agere natura diuina, quia sicut est incarnationis principium, sic esset incarnationis terminus, & esset immediatē incarnata ipsa diuina natura primo, & immediatē, & mediante natura essent incarnatae personæ, sicut & quidam Scriptores nostri temporis scriperunt. Ad uertendum tamen, quod ad plenam solutionem quæstionis, oportet aliquid dicere de quinta distinctione. Nam cum queritur. Vtrum congruenter posset fieri vniō in natura, cum confusione alterius naturæ, nimirum, quod humana natura conuerteretur ad diuinam, & ē conuerso. Dicemus hoc esse impossibile, quia hoc fieri non posset, sine mutatione diuinæ naturæ, si alia natura conuerteretur in ipsam, vel si ipsa conuerteretur in aliam: nam omnis mutatio à diuina natura est aliena, sic etiam fieri non posset talis vniō cum confusione vtriusque naturæ, quia hoc etiam sine mutatione diuinæ naturæ fieri non posset; sicut ex pluribus elementis, vel ex pluribus miscilibus sit una natura mixta, non remanente aliquo miscibili, secundum naturam suam. Potest tamen talis vniō fieri cum permanentia vtriusque naturæ, D absque constitutione tertiae naturæ. Propter quod illud simile. Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus, non est omnino simile, quia si vniō sit aliquo modo sine commixtione vtriusque naturæ, quia anima manet in sua natura spirituali, & caro in sua natura corporali, tamen ex ijs duabus naturis, constituitur una tertia natura, quæ dicitur homo, vel humanitas. Sed siue fieret vniō in natura diuina, modo, quo talis vniō est possibilis, siue fieret in persona immediatē, modo, quo

Vnio sō po-
tuisse fieri
cum per-
mixtione al-
terius na-
tura, sine
reali muta-
tione Diu-
na, & id-
circo hoc
modo estim
possibilis.

D. Athan. is
Symb.

poterit illud simile. Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus, non est omnino simile, quia si vniō sit aliquo modo sine commixtione vtriusque naturæ, quia anima manet in sua natura spirituali, & caro in sua natura corporali, tamen ex ijs duabus naturis, constituitur una tertia natura, quæ dicitur homo, vel humanitas. Sed siue fieret vniō in natura diuina, modo, quo talis vniō est possibilis, siue fieret in persona immediatē, modo, quo

est facta, semper sic saluaretur, & permaneret utraque natura secundum se, quia humana non fieret diuina, nec ē conuerso, quia ex illis duabus naturis non constitueretur, nec posset constitui natura tertia.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, aliquos sic soluere illud argumentum, quod illa auctoritas fuit exposita postea in alio Conclilio. Sed non videtur nobis illud dictum indigere alia expositione: quia in Christo non est incarnata, nisi una natura, videlicet natura diuina: ipsa autem caro Christi non est incarnata, nec ipsa humanitas est humanata: quia quodlibet predicatur de se ipso essentialiter, & non denominatiuē. Natura ergo diuina est incarnata in Christo, non immediate, sed mediata persona Verbi. Personam autem Verbi immediate intelligimus incarnationem; & mediante persona, intelligimus esse incarnatam & unitam diuinam naturam, quæ cum proprietate personali est constitutiva illius personæ.

Caro Christi non potest dici in carnata.

Ad secundum dicendum, quod illud simile non est per omnia simile. Nam quamvis anima rationalis, & caro constituant unam naturam tertiam; natura tamen Diuina, & humana non possunt unam tertiam naturam constituere, siue intelligatur talis vniō immediatē ad personam, secundum quem modum est facta; siue intelligatur immediatē ad naturam, secundum quem modum dicimus talem vniōnem esse possibilem fieri, sed non esse factam.

Caro, & ani-
ma rationu-
lis con-
stituant unam
tertiā natu-
ram, & na-
tura Diu-
na, & hu-
mana ne-
quaquam.

Ad tertium dicendum, quod illa denominatio non sit propter confusione substantiæ, quod humanitas sit deificata, quia sit conuersa in deitatem, vel quod deitas sit humanata, quia sit conuersa in humanitatem, sed hoc est propter unitam personam. Nam quia eadem persona dicitur esse Deus, & homo; humanitas dicitur esse deificata, quia habet esse in illa persona, quæ vere est Deus, & quæ est vere Deus de Deo vero, & Deitas dicitur humanata, quia habet esse in illa eadē persona, quæ cum hoc, quod est verus, & perfectus Deus, non deserendo, quod

Quomodo
Deitas dica-
tur huma-
nata.

quod erat, sed assumendo, quod non erat, factus est perfectus, & verus homo. Ista ergo unitas facta est, non secundum confusionem alicuius substantiae, sed secundum unitatem personae. Ideo cum in Symbolo dicitur de Christo: *Qui cum Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus;* postea subditur. *Vnus non confusione substantiae, sed unitate personae.*

Ap. hoc.
quod humana natura immediata terminata ad personam Verbi, & non ad essentiam sufficit rationis in distinctionem personarum, quae sunt res relatae, vel rationis, quantum ad distinctio rationis inter diuinam essentiam, & Personas. Ad quartum dicendum, quod licet in diuinis omnia sint idem; propter summam simplicitatem ibi existentem, aliqua tamen differentia est ibi, vel rerum, quantitate, & non tantum ad distinctionem personarum, quae sunt res relatae, vel rationis, quantum ad distinctio rationis in persona realiter loquendo de re relata, sed persona dicitur ab essentia ratione differre, quia essentia in diuinis dicit quid absolutum, persona vero quid relatum, propter quam differentiam assumptio carnis immediata terminata est ad personam, & mediante persona terminata est ad essentiam, vel naturam.

ARTIC. II.

Utrum congruum fuerit diuinum suppositum, vel diuinam naturam carnem assumere. Conclusio est affirmativa.

D. Thom. 2. p. q. 1. art. 1. Cabrera ibidem disp. 1. Suarez disp. 3. sect. 3. Nazarius controver. 2. Silvius q. 1. art. 1. Medina ibid. Aluarez disp. 2. D. Bonau. 3. sent. d. 1. art. 2. q. 1. Ricchar. par. 2. quest. 1.

 **E**CUND O queritur de congruitate incarnationis per comparationem ad suppositum, vel personam. Utrum congruum fuerit diuinum suppositum, vel diuinam naturam carnem assumere: & videtur, quod non.

Nam dato, quod hoc sit possibile, non videtur hoc fuisse congruum: sicut enim malitia opponitur bonitati, sic infirmitas opponitur maiestati, sed summam bonitatem non decet assumere aliquam malitiam: ergo summam maiestatem non

A decet assumere aliquam infirmitatem; sed in qualibet Persona diuina, & in quolibet supposito diuino habet esse summa maiestas: ergo &c.

Præterea peccatum hominis, & peccatum Angeli fuerunt eiusdem generis, quia quilibet peccauit per superbiam: ergo congruum fuit, quod eodem modo fieret satisfactio pro utroque peccato: sed Deus non subuenit, nec satisfecit pro peccato Angeli, assumendo aliquam naturam: ergo non fuit congruum id facere pro peccato hominis.

B Præterea creatio respondet recreacioni: congruum ergo fuit, quod sicut Deus se habuit creando hominem, sic se haberet recreando, vel redimendo: sed creando hominem non assumpsit aliquam naturam: ergo &c.

C Præterea, secundum Dionysium: *Lex diuinitatis est infima per media reducere:* D. Dion. de celesti. hie ratchia. sed homo, vel anima rationalis tenet infimum locum in genere substantiatum separatarum, quia natura quilibet Angelus est superior hominibus. Reducendus ergo erat homo in Deum per Angelum, qui est mediis naturaliter inter Deum, & hominem: & quia congruum est, quod Deus agat secundum suam legem: ergo &c.

Præterea quodlibet bonum creatum est finitum: sed bonum totius humanæ creaturæ est creatum: ergo est finitum, sed quilibet bono finito potest Deus facere aliquid malum: posset ergo facere aliquem Angelum, qui præponderaret toto humano generi, & quia non fit congruè per maius, quod potest fieri per minus, non fuit congruè facta redemptio per personam Diuinam, cùm hoc posset fieri per naturam Angelicam.

I N C O N T R A R I V M est, quia tota humana natura fuit corrupta in primo Parente: sed pro tota humana natura non poterat congrue satisfacere, nisi Deus: congruum ergo fuit Deum incarnari, vt talis satisfactio fieret.

Præterea dicitur Sap. 8. *Sapientia vincit malitiam:* sed malitia Diaboli deiecta, fuit humana natura in peccatum, quantum potuit deiici: ergo vt Dei Sapientia vinceret malitiam Diaboli, debuit humanam naturam exaltare, quantum potuit exaltari, sed hoc non poterat fieri nisi fieret, quod

quod Deus esset homo, & quod Deus in carnaretur, & fieret homo. Congruum ergo fuit, quod sic faceret.

RE SOLV T I C.

Congruum fuit Deum incarnari ex parte hominis sanati, ut fides nostra fundatur, spes erigeretur, & diffunderetur charitas. ex parte item Dei sanantis ad ostensionem Diuinæ misericordiaæ, iustitiae, & sapientiae.

RESPOND E O dicendum, quod de possibilitate incarnationis quæsitum est prius, nunc autem quæritur de congruitate. Vtrum congruum fuerit humanum genus redimi per incarnationem Dei, vel Filij eius, qui est verus Deus. Hanc autem quæstionem soluit August. 13. de Trinitate cap. 10. vbi vult, quod si alius modus fuit possibilis nostræ redempctionis, sanandæ tamen nostræ miseria conuenientem modum alium non fuisse. Possimus autem istam congruitatem assignare ex parte hominis sanati, & restaurati, & ex parte Dei sanantis, & restaurantis. Ex parte autem hominis sanati tripliciter. Nam secundum Apostolum: Nunc manent Spes, Fides, Charitas, congruum enim fuit, Deum incarnari, vel Dei Filium hominem fieri, ut ex hoc Fides nostra fundaretur, Spes erigeretur, vel eleuaretur, Charitas autem diffunderetur, vel dilataretur. Per Christum enim fides nostra est fundata: Et ideo ait Apostolus 1. Corinth. 3. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod possum est, quod est Christus Iesus.* Quod exponit Glossa de fide Christi, quæ per dilectionem operatur. Haec enim posita pro fundamento, ut Glossa ait, neminem perire permittit. Est autem Dei Filius incarnatus fundamentum fidei nostræ, namque omnes articuli fidei sunt de Dei Filio incarnato. Non enim possumus intelligere Dei Filium, nisi intelligamus Deum Patrem, quia relativa posita se ponunt, & perempta se perimunt, nec præsumus intelligere Patrem, & Filium, nisi intelligamus Spiritum Sanctum, qui est amor, & nexus triusque, & qui relatiæ refertur ad utrumque Omnia ergo articulorum

D.P. Aug.
tom. 3.

pertinentium ad deitatem est. fundamen-
tum Dei Filius, qui est unus Magister no-
ster, docens nos viam salutis, & ea, quæ
debemus de deitate credere: & quia ipse
solutus assumpsit carnem, & factus est ho-
mo, in eo sunt omnia, quæ debemus de
humanitate credere. Ideo Athanasius D. Athan.
componens Symbolum de fide Catholi-
ca, cum prius narrasset omnia, quæ per-
tinent ad deitatem, postea subdit, quod
*Necessarium est ad æternam salutem, ut
Incarnationem Domini nostri Iesu Christi
fideliter credant.* Fides ergo nostra per
Christum suscipit fundamentum. Propter
quod Augustin. 18. de Ciuit. Dei cap. 27.
vult, quod nulli est concessum pertinere ad
spiritualem Ierusalæ, nisi cui reuelatus est
Christus. Cogruum ergo fuit Deum, id est Dei
Filiu incarnari, ut fides nostra fundaretur.

Secundum congruum fuit Christum in-
carnari, ut spes nostra eleuaretur, &
erigeretur. Fortè non speraremus, imo
fortè desperaremus fieri filij Dei per gra-
tiam, sed quando audiuiimus, & cognouimus,
quod Dei Filius naturalis, factus
est hominis filius naturalis, omnino pos-
sumus audaciam sumere, & firmiter spe-
rare, quod filij hominum naturaliter pos-
sunt fieri filij Dei adoptiui. Ideo Ioan. 1.
cum dicit Euangelista: *Quotquot autem
recepérunt eum, dedit eis potestatem filios
Dei fieri,* ad hoc confirmandum, & probandum subdit: *Verbum caro factum
est,* quasi dicat, quod si Verbum Filius
Dei naturalis potuit fieri caro, id est fieri
homo, & filius hominis naturalis: debent
sperare filij hominum naturales, quod
possunt per gratiam fieri filij Dei adoptiui.
Augustin. 13. de Trinit. cap. 9. ait: *Si
natura Dei Filius, propter filios hominum,
natura factus est filius hominis, & Ver-
bum caro factum est, & habuit in no-
bis, quanto creditibius est, natura filios ho-
minum, gratia fieri filios Dei?*

Tertiò hoc fuit congruum, quod diuina persona, id est Dei Filius incarnaretur,
quia in hoc non solum fides nostra est
fundata, & spes eleuata, sed etiam & chari-
tas est dilatata. Nam in lege veteri non
erat præceptum de dilectione inimici, sed
solum de dilectione proximi, pen proximi-
um autem ipsi intelligebant amicum
Propter quod per dilectionem proximi
intelli-

D.P. Aug.
Ad spiritua-
lem Ierusa-
lam ij per-
tinens, qui-
bus reuelat-
bus est Chri-
stus.

Vnde spe-
renatus fieri
filij Dei a-
doptiui.

io. c. 1.

D.P. Aug.

Per incar-
nationem lex
charitatis
dilarata
fuit.

intelligebant dilectionem amici. Et ex hoc fortè credebant, quod liceret eis odisse inimicos, ideo dicitur Matth. 5. *Audiatis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Quod dictum fortè potest referri ad intellectum, quem habebant Scribæ, & Pharisæi de Lege: Et subdit: *Ego autem dico vobis: Diligit inimicos vestros, &c.* Omnes ergo istæ congruitates, & etiam aliae, quæ possunt inueniri, ostendunt pro parte nostra, congruum fuisse, Dei Filium incarnari.

*Quo pacto
Incarnationis myste-
rium congruum fuc-
rit ex parte
Dei.*

Ie. cap. 3.

Rom. 8. & 5.

*Ex magna
dilectione
quæ habuit
Deus ad
nos, magna
pro nobis
misericordia
opus
exercuit.
D. Gregor.*

Aem. cap. 8

Io. cap. 3.

Viso quomodo hoc congruum fuit ex parte nostra, volumus ostendere, hoc fuisse cōgruum ex parte Dei, quia in hoc apparuit magna illius misericordia: æqua eius iustitia, perspicax eius sapientia: Dicitur enim Io. 3. *Sic Deus dilexit mundū, ut unigenitum Filium suum daret.* & ad Rom. 8. dicitur: *Qui etiam proprio Filio non pepercit.* Sed & ad Rom. 5. habetur: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.* Ex quibus omnibus possumus accipere quatuor conditiones, quod ex magna dilectione, quam habet Deus ad nos, magna opera misericordiæ pro nobis exercuit, vt ex hoc magna eius misericordia ostendatur. Nam si seruum dedisset pro redēptione serui, fortè nō fuisset oltēsio magnæ dilectionis, nec opus magnæ pietatis, & misericordiæ, sed pro seruo dare filiū fuit valdè magnū: ideo ait Gregorius: *O inestimabilis dilectio charitatis, quia ut seruum redimeres, Filium tradidisti.* Secundò fuit hoc magnum, quia si pro seruo dedisset filiū adoptiuum, fortè non fuisset magnum, sed dare filium naturalem fuit valdè magnum. Ad hoc ergo potest adaptari, quod dicitur ad Rom. 8. *Qui etiam proprio, id est naturali, Filio suo non pepercit.* Tertiò si habuisset plures filios, & vnū de illis tradidisset pro nobis, fortè nō fuisset magnum, sed cum non haberet nisi vnigenitum, id est unum genitum, & unum filium, illum tradidit pro nobis, fuit valdè magnum misericordiæ, & pietatis opus. Ad hoc ergo potest adaptari quod dicitur Io. 3. *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suū unigenitum daret.* Quarò si fuissimus amici eius, & ipse dedisset vro nobis Filium suū, fortè non fuisset ma-

Aegid. super iij. Sent.

gnum, sed cum essemus inimici, reconciliati sumus ei per mortem Filij eius, vt dicitur ad Rom. 6. fuit valdè magnum misericordiæ, & pieratis opus.

Rom. cap. 6

Ostendo quomodo fuit congruum ex parte Dei, quia in hoc apparuit magna eius misericordia, volunus ostendere hoc fuisse congruum, quia in hoc ostensa fuit æqua eius iustitia. Poscit enim equitas iustitiæ, quod pro offensa infinita fiat satisfactio infinita. Infinitus enim Deus fuit offensus per peccatum Adę, & infinitus Deus fuit passus, vt reconciliaremur Deo, & satisficeret Deo pro offensa.

*Infinitas of-
fensa requi-
rit infinita-
tem satisfa-
ctionis, si
exequitæ iu-
stitiae ser-
vanda est.*

His omnibus itaque transcursis, restat ostendere hoc fuisse congruum ex parte Dei, quia in hoc apparuit perspicax Dei sapientia, quæ manifestè ostenditur, si cōsideretur modus redēptionis nostræ. Nam primi nostri parentes peccauerunt, decepti à Diabolo per esum ligni. Sapienter ergo sicut per lignum fuit victoria diaboli de nostris parentibus, sic per lignū facta est victoria de diabolo per Dominum Iesum Christum, vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, & fieret ista victoria per Dominum Iesum.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendū, quod non deceat diuinam Maiestatem assumere aliquā infirmitatem, per quam verè cōfundatur, & deprimatur eius Maiestas, sed per assumptionem carnis non fuit confusio diuinæ naturæ, nec depræssio Maiestatis in eo quod Deus: quia sic assumpit quod non erat, quod nō confundit, nec perdidit, nec secundū se depræssit quod erat; & si dicitur Dei Filius minor Patre, hoc non debet concedi absolutè, & simpliciter, sed cum hac additione in eo quod homo.

*Assumere
carnem in-
firmitati,
seu passioni
subiecti & vi-
ne depres-
sione, & cō-
fusione diu-
na maiesta-
tis decuit,
cum consu-
tione, & de-
pressione
non licuit,
nec potuit.*

Ad secundum dicendum, quod assi gnantur octo rationes, quare peccatum hominis fuit remediabile, & non peccatum Angeli. Prima ex eorum cognitione, quia Angelus non habet intellectum sic obum bratum, nec sic intelligit discurrendo, sicut intelligit homo: & quia cognitio Angeli superexcedit cognitionem hominis, cum ignorantia, vel nescientia faciat ad excusationem peccati, consequens est, quod peccatum diaboli, propter luciditatē sui intellectus semper excessit peccatum hominis.

*Peccatum ho-
minis sit
remediabi-
le, & non
peccatum
Angeli:
quod octo
rationibus
probatur.*

D Secum-

Rom. cap. 6. Secunda ratio adhuc, prout communiter ponitur, potest sumi ex utriusque natura, nam unus Angelus naturalis non propagatur ex alio, sicut unus homo ex alio, & ideo quia, per unum hominem introductum fuit peccatum in mundum, id est per Adam, congruum fuit, ut per hominem unum tolleretur, scilicet per Christum, ut potest haberi ex ipsis, quae dicit Apost. ad Rom. 6. vbi dicitur: *Sicut per inobedientiam unius hominis.* &c. Et si dicatur, quod unus draco traxit secum tertiam partem stellarum, hoc non fuit per propagationem naturalē, sed per voluntatis consensum. Tertia verò ratio potest sumi ex peccato utriusque; quia homo peccauit per appetitum scientiae, iuxta illud: *Eritis sicut dii, scientes bonum, & malum:* sed diabolus peccauit per appetitum potentiae. Videns enim se excellentiorem in naturalibus omnibus aliis, voluit, quod per naturam posset alios illuminare, quod debuit velle, hoc posse per gratiam. Nam secundum Sanctos illud voluit, quod habuisset si stetisset. Id autem sic intelligendum est, quod illud voluit, quod habuisset per gratiam, non per naturam, simpliciter, & absolutè loquendo, si stetisset, id est, si non peccasset, & corruisset. Quarta ratio potest sumi ex modo peccandi, quia homo peccans de venia cogitauit, ut habetur 2. sent. d. 2. de qua non cogitauit Diabolus.

Gen. cap. 7. **Magist. sen.** Quinta ratio potest sumi ex circumstantia peccati, nam homo, quia per aliū peccauit, per alium debuit sibi subueniri, sed Diabolus per seipsum peccauit, accipiendo pro Diabolo, Angelū primō peccantē. Sexta ratio potest sumi ex Angeli, & hominis existentia, quia omnes Angeli erāt actu existentes, qui peccauerūt, sed corrupta erat natura humana, non solum quantū ad existentes, sed etiā quantū ad futuros, & nascituros, & ideo magis compatiendū erat eis, qui inficiendi erant per peccatum, cum tamen mundi actu existerent. Septima ratio potest sumi ex totalitate naturae, quia tota humana natura erat infecta, non autem tota natura Angelica. Ideo magis compatiendum erat homini, quam Angelo. Octaua ratio sumi potest ex parte status, quia Angelus cadendo, & peccando fuit in termino, & non amplius fuit in statu viae, & ideo ei subueniri non potuit, sed homo usque ad mortem semper est in

A statu viae, & ideo ei usque ad mortem potest subueniri, non autem post mortem. Ideo dicit Damascen. lib. 2. c. 3. *Quod est hominibus mors, hoc est Angelis casus.* D. Damascen.

Ad tertium dicendum, quod in creatione, creaturæ se habet solum ut effectus, & ideo non oportet, quod in hoc aliquid exigatur à creatura: sed in recreatione creatura se debet habere, ut satisfaciens, & quia unus homo potest satisfacere pro alio, ideo poterat ei per alium subueniri, quae subuentio, & redemptio facta est per hominom Christum.

B Ad quartum dicendum, quod pro homine non poterat satisfacere Angelus, cum Angelus sit quid finitum, & fuit facta offensa infinito Deo: sed eo modo, quo potuit fieri per Angelū reducere hominis in Deum fuit per Angelum facta, quia incarnationis Verbi, per cuius passionem fuit facta satisfactio pro homine, fuit per Angelum annuntiata, ut habetur Lucæ 1. Lucæ 1.

C Ad quintum dicendum, quod ut communiter ponitur aliqua pura creatura, non potest satisfacere pro homine. Quia ille potest satisfacere pro alio, qui potest supererogare supra id quod debet. Nulla autem pura creatura hoc potest, iuxta illud: *Cum omnia beneficeritis, dicite inutiles serui sumus, & quod debuimus facere fecimus.* Secunda ratio adhuc sumi potest ex parte propagationis humanæ, quia quilibet natura per generationem multiplicabilis, quantū est de se est multiplicabilis in infinitum, iuxta illud Porphyrij: *Descendentibus igitur à generalissimis ad specialissima iubet Plato quiescere.* Infinita enim relinquenda sunt, quia de eis non potest esse disciplina. Individua ergo eiusdem speciei quantum est de se per generationem in infinitum multiplicabilia sunt. Debet ergo esse infinita Persona, quae posset pro se infinito quantum est de se satisfacere. Tertia ratio adhuc assignari potest ex ipsis, quae assumperat Adam in suo statu primitivo, quia assumperat originalem iustitiam, quae erat super naturam: cum ergo hoc sit satisfacere pro aliquo, vel pro aliqua natura, reducere illam naturam ad pristinum statum: hoc fieri non poterat sine dono supernaturali: quod conferre spectat ad solum Deum.

Alia est ratio creaturæ, in qua creatura habet ut effectus tantum, & alii recreationis, in qua se debet habere, ut satisfaciens vel alius pro ea.

Aliud est satisfacere pro offensâ infinita, a illud verò esse nunc incarnationis, per quam facta est satisfactio.

Quae pura creaturæ potuerit satisfacere diuinam iustitiam pro peccato.

Liber. prædict. cap. c. 2.

ARTIC. III.

Vtrum congruitas incarnationis Dei, siue Filij Dei fuerit tanta quod debeat dici necessitas. Conclusio est negativa.

D.Thom.3.p.q.1.art.2.Caiet. Medina. Cabrera ibid.
Valq.disp.1.cap.2.Silvius 3.p.q.1.
art.2.Suar.disp.4.tom.
1. sect.2.

ERTO queritur. Vtrum congruitas incarnationis Dei, siue Filij Dei, fuerit tanta, quod debeat dici necessitas. Et videtur, quod sic. Primo ex parte Dei offensi. Nam si per peccatum Adae ipse Deus fuit offensus, qui est infinitus, non videtur quod posset satisfieri pro tali offensa infinita, nisi per incarnationem personae infinitae.

Præterea hoc idem patet ex parte personarum offendientium: Nam personæ offendentes fuerunt primi Parentes, in quibus erat tota natura humana. Tota ergo natura humana fuit infecta, & nos omnes nascimur ex hoc infecti; & omnes peccauimus in Adam: iuxta illud ad Roman.5. *In quo omnes peccauerunt.* sed natura humana quantum est de se, est multiplicabilis in infinitum: ergo oportet esse personam infinitam, que posset protantis personis satisfacere.

Rom.5.

Præterea hoc idem patet per Scripturam sacram: quia ut dicitur Matth. 26. quando Petrus exemit gladium, dixit ei Christus: *Conuerte gladium tuum in locum suum.* & sequitur: *Quia sic oportet fieri,* idest necesse erat Christum pati, & consequenter ipsum incarnari. Congruitas ergo incarnationis fuit quedam necessitas.

Præterea dicitur Matth.5. *Donec transeat cœlum, & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege:* ergo magis necesse est impleri legem, quam sit necessarium cœlum, vel terra, cum potius possit transfire cœlum, & terra, quam legem non impleri. Cum ergo in lege, accipiendo legem largè pro toto veteri testamento, scripta sint aliqua de incarnatione Dei,

Aegid.super iij.Sent.

A & de passione eius: non solum fuit congrua, sed etiam necessaria.

Præterea, ut habetur Lucæ vlt. Quando Christus iunxit se duobus discipulis euntibus in Emmaus, dixit. *O stulti, & tardati corde ad credendum.* &c. & subdit: *Nonne oportuit pati Christum.* &c. Si ergo oportuit, & necesse fuit Christum pati, necesse fuit ipsum incarnari: congruitas incarnationis fuit quedam necessitas.

I N C O N T R A R I V M est, quia Verbo Incarnato nihil accreuit virtutis propter carnis assumptionem: si ergo per carnis assumptionem potuit redimere humanum genus, potuit etiam hoc facere sine carnis assumptione: non ergo fuit necessaria talis assumptio.

Præterea, si homo peccauit, tenebitur satisfacere, sed Deus non debet plus requirere ab homine, quam homo possit facere: non ergo necesse fuit Verbum incarnari, sed si homo fecisset totum quod posset, Deus debebat de hoc esse contentus, & hoc solum sufficiebat, ut esset Deo satisfactum: ergo &c.

R E S O L V T I O .

Non fuit simpliciter necessarium Deum incarnari, sed utile, congruum, & expediens, ita ut nullus alius modus sananda nostre miseriae fuerit congruentior. Ex presuppositione autem ordinationis Divinae, immutabilitatis tantum necessitas eiusdem incarnationis colligitur.

D I C E N D V M, quod necessarium aliquando idem sonat, quod utile, vel expediens, vel congruum: hoc modo loquitur de necessario Porphyrius, cum ait: *Cum sit necessarium Christo:* &c. doctrina enim Porphyrij erat necessaria ad sciendum prædicamenta, non quod nullo modo possent sciri prædicamenta sine Porphyrio, quia antequam esset Porphyrius, sciebantur prædicamenta; sed dicitur hoc esse necessarium, quia ad sciendum prædicamenta doctrina Porphyrij est multum utilis, multum expediens, & multum congrua: ergo necessarium uno modo idem sonat quod utile, vel expediens, vel congruum: Alio modo

Porphyrius.